



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XXXIV. De voto & voti redemptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ad Baptismum. Sanch. Azor, Pih. Barbos. LL. cit. Ricciull. l. c. num. 27. qui etiam num. 28. id procedere ait, licet infans natus sit ex utroque parente infideli, dum unus ex illis post natiuitatem filii conversus est ad fidem. Dixi tamen in *respons.* Si proles necdum sit doli capax; alias enim, si sui compos sit, cogi non potest ad fidem, sed suæ libertati relinquere debet in hoc, an parentem fidelem seu conversum sequi velit eique adherere, an vero infidelem. Sanch. Pih. l. c. Zeiffens. b. t. num. 7. pro ut definitur in Concilio Toletano relato in c. de *Judeis* s. *dist.* 45. in dubio tamen utrum proles rationis capax sit, pro favore religionis iudicandum, & consequenter illa relinquenda & restituenda parenti converso, tradunt Sanch. l. c. Sa. V. *Matrimonium.* Zeiffens. l. c. Illud hic obiter,

de quo alibi ex professo, notandum cum Barbos. l. c. num. 11. & aliis ex Azor l. c. cap. 11. q. 7. Turpia & nefaria esse pacta, ut liberi masculi patris sectam hæreticam, & si fœminæ, Catholicam matris religionem sequantur & teneant. Quid verò independentè à fidelitate & infidelitate dicendum, dum parentes vivunt in divortio, à quo eorum liberi tunc alendi vide apud Pih. b. t. num. 7. ubi breviter, quod apud matrem educandi, & impensis patris alendi, si pater divortio causam dedit; apud patrem verò impensis matris, si ejus culpa factum divortium. verum de hoc accuratius alibi, uti & de pluribus aliis l. 4. *Decret.* quæ alias huc referri potuissent, nisi hic titulus binis jam propositis quæstionibus absolveretur.

TITULUS XXXIV.

De voto & voti redemptione.

CAPUT I.

De voti natura, varietate, obligatione.

Quæst. 882. *Qualiter votum definiatur.*

1. **R** Esp. votum non pro desiderio, uti sæpe accipi solet, ut dum dicitur, rem pro voto succedere, aliquem fieri compotem sui voti; sed pressius & proprie acceptum pro promissione deo facta ex communi DD. definitur, quod sit promissio deliberata & spontanea deo facta de meliori bono.

2. Dicitur primò: *promissio*: per quod convenit cum promissione homini facta; differt autem à simplici proposito, etiam absoluto & efficaci, utpote quod non sicut promissio inducit obligationem ullam exequendi, quod animo conceptum est, neque ex intentione proponentis; cum is nullam intentionem obligandi se habuerit. neque ex natura ipsius propositi; cum alias, qui quotidianam v. g. auditionem missæ sibi proposuisset, omittendo illam; cum sit materia gravis, ad eam obligaretur, & consequenter omittendo illam peccaret graviter, atque ita proponens firmiter servare, quod lege præceptum est, peccaret duplici peccato. primò adversus præceptum violatum, secundo adversus obligationem proposito indutam. ita Sylv. v. *volum* 1. q. 2. Azor. *Inst. mor.* pag. 1. L. 11. cap. 12. q. 1. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 1. Sanch. l. 4. *de voto.* cap. 2. num. 20. Suar. *Tom.* 2. *de relig.* L. 1. *de voto* c. 2. num. 2. Less. l. 2. c. 40. du. 4. num. 2. Bonac. Covar. & alii, quoscit Castrop. *tr.* 15. d. 1. p. 2. num. 2. Debet autem hæc promissio esse vera, ita ut ad rationem voti non sufficiat simulata v. g. si fiat verbotenus tantum, vel si fiat quidem animo, sed non animo se obligandi ad executionem; sine qua obligatione volita subsistere nequit promissio. ita Suar. l. c. c. 3. à num. 3. Less. l. c. du. 1. n. 6. Azor l. c. num. 7. Valent. l. c. Castrop. l. c. p. 3.

num. 2. idque, ut idem cum Suar. Less. & aliis, siue vovens sit conscius naturæ voti, natæque ex eo obligationis, siue ignarus. Veram tamen veram esse promissionem & veri voti rationem constituitur posse, si quis promitteret animo obligandi, seu exequendi rem promissam, probabiliter teneat Sanch. l. c. c. 1. num. 23. Suar. l. c. c. 4. à n. 3. Azor. l. c. q. 9. Gutt. *qq. can.* l. 2. c. 22. num. 3. Castrop. l. c. num. 4. & num. 5. ubi breviter objecta in Contrarium diluit. Contra valent. l. c. *vers.* si autem dicatur. ex ea ratione; quod, cum hæc duo, animus sese obligandi ad rem promissam exequendam, & animus exequendi illam sint distincta, consistatque ratio promissionis & voti non in voluntate exequendi, sed adæquatè in voluntate se se obligandi ad exequendum, possit adesse ratio voti, quin adsit voluntas exequendi illud; non secus ac esse potest ratio emptionis & venditionis, quin adsit voluntas traditionis, utpote sine qua hi contractus validi sunt. Item mandatum, quo quis alterum ad aliquid faciendum obligat, esse potest in ratione mandati validum, absque eo, quod mandans velit illud exequi per illum, ut patet, dum deus mandavit Abrahamo immolare filium, non tamen voluit illum exequi hanc immolationem, ita Wiestn. h. t. num. 5. Castrop. l. c. num. 4. qui etiam num. 5. in fine cum Suar. l. c. l. 5. c. 1. num. 7. Sanch. l. c. n. 35. & aliis ait, voventem non habentem voluntatem exequendi promissum, peccaturum graviter vel leviter pro ut materia voti levis est vel gravis; in cæteris verò modis simulatè vivendi, nimirum sine animo se obligandi, vel verbotenus tantum committi solum peccatum veniale, excepta simulacione vovendi commissa in professione ordinis religiosi & susceptione ordinis facti, eò quod licet non obligetur quis ad hæc suscipienda, eo ipso tamen, quo libere suscipiuntur, obligatur suscipere eo animo & voluntate, quam

quam præscribit religio, & Ecclesia, utpote quæ aliàs in tali decipitur, adeoque gravem patitur injuriam. pro quo citat Sanch. *l. c. n. 38.* Bonac. *Tom. 2. d. 4. q. 2. de voto, p. 1. n. 15. &c.*

3. Dicitur secundò: *deliberata*, id est facta cum advertentia rationis ad convenientiam, & disconvenientiam, quam habet votum cum vovente, ejusque obligationem. quanta autem deliberatio, & advertentia requiratur ad valorem, non omnino exploratum est apud omnes, communior, quam cum Gl. *in c. mulier. 32. q. 2.* tenent Gutt. *qq. canon. L. 2. c. 22. n. 8.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 1.* Less. *L. 2. c. 4. d. 1. n. 2. & seq. Suar. Tom. 2. de relig. L. 1. de vot. c. 6. n. 4.* Sanch. *tit. 6. l. c. n. 2.* Laym. *L. 4. tr. 4. c. 1. n. 3.* Castrop. *l. c. p. 4. n. 2.* (qui tamen addit sufficere eam deliberationem, quæ ad meritum, & demeritum necessaria est) habet, ad votum non sufficere minorem advertentiam, quam quæ requiritur, & sufficit ad peccandum mortaliter: Unde licet ad vovendum omnino matura, & exacta deliberatio, quæ omnem circumstantiam convenientiæ, & disconvenientiæ in vovendo ponderet, non requiratur (cum aliàs vix ullus esset, qui verum votum emitteret, ut inquit Castrop.) non tamen sufficere semiplenam, cum Sanch. Suar. Less. tradit. Idem, assignatâ hac ratione, quòd imponere alteri, aut sibi obligationem etiam sub culpa levi, quæ aliàs sub nulla culpa obligabar, res ita gravis sit, ut meritò in imponente requiratur plenam advertentiam. His non obstantibus, quòd ad violandum votum sufficiat semiplena advertentia, cum minor libertas requiratur ad violandum, quam ad inducendum votum. Sufficere verò virtualemente ad validè vovendum non secus, ac ad Sacramenta conferenda, & suscipienda, ut si ex animo quis se disponat ad vovendum, & tempore, quo actu emittit votum, distrahitur, adhuc valeat votum; cum illa formalitas vovendi in virtute, & effectu à se relicto maneat, tradunt expressè Sanch. *L. 1. de sponsal. d. 8. n. 21. & L. 4. de voto, c. 1. n. 6.* Suar. *L. 1. de voto, c. 10. à n. 4.* Castrop. *l. c. n. 4.* modò tamen eo tempore, quo actu emittitur votum sit compos rationis Suar. *à n. 9.* Sanch. & Castrop. *LL. cit.* Unde videtur quis non teneri voto, quod in ebrietate plena, seu planè usu rationis privatus emisit, etiam si sciens se in ebrietate solere multa vovere, antebrietatem confenserit in istam obligationem. de cætero vovendo absque plena deliberatione peccari, eò quòd obligatio voti sit res gravissima, adeoque non debeat sine prudentia, & consideratione eam subire, illum tamen defectum prudentiæ in promittendo ordinariè non excedere culpam venialem, supponunt AA. communiter, & in specie Sanch. *l. c. n. 9.* Valent. *l. c. p. 1. circa finem.* Suar. *L. 5. c. 1. n. 2.* posse tamen quandoque, sed rarò, esse mortale, tenent Sancti. & Suar. ex eo capite, quod expertus quis esset, se exponi periculo violandi votum (intellige in materia gravi) dum ex præcipitatione vovit. quam rationem non probat Castrop. *l. c. n. 5.* quia periculum transgrediendi votum non tam ex præcipitatione in vovendo, quam ex prava voluntatis affectione oriatur. non nisi in eo casu admittit peccari mortaliter, quo ex præcipitatione incurrit quis periculum vovendi illicita, & impossibilia, quæ Deo promittere est grave peccatum. hoc tamen rarò contingere addit, quia necesse est, hoc periculum prævideri. requiri autem, ut hoc periculum vovenda

di graviter illicita apprehendatur plenè advertentibus; eò quòd qui ex semiplena advertentia exponit se periculo peccandi graviter, non peccet mortaliter, addit La Croix *L. 1. p. 1. n. 370.* remittens ad Illung. *tr. 5. n. 77.*

4. Dicitur tertio: *sponanea*, id est, plenè libera, imprimis à metu, non quidem proveniente à Deo, seu causis naturalibus; quia votum factum ad effugiendum malum tale tam jure naturæ, quam ecclesiastico est validum, & si per simplicem affectum quis nollet illud emittere, si modo alio non ita difficili prudenter censeret, se posse illud malum evitare. ita juxta *c. sicut, de regular.* communiter omnes. Sed neque à metu proveniente ab extrinsecò, sive justè, sive injustè incusso; quia adhuc liberè ad evitandum malum, quod timetur, assumitur votum tanquam medium salubre, & DEO gratum, et si occasio illud emittendi ei sit ingrata, ita cum communi & certa, ut Suar. *L. 2. de voto c. 7. n. 8.* Sanch. *L. 4. Sum. c. 3. n. 5.* Less. *L. 2. c. 40. n. 16.* Azor. *p. 1. L. 11. c. 15. q. 7.* Castrop. *l. c. p. 5. n. 3.* Quòd si verò metus incussus ad extorquendum votum an propterea annulletur, variè sentiunt & distinguunt AA. metum gravem etiam justè eo sine incussum jure naturæ annullare votum, eò quòd votum ob perfectionem sui sit incapax talis coactionis extinctoriæ, docent plures apud Castrop. *l. c. n. 4.* quorum sententiam satis probabilem reputat Sanch. *Less. n. 20.* Oppositum verius tenent Suar. *l. c. n. 16.* Less. *l. c. n. 15.* Sanch. *n. 21.* Sa. *V. votum. n. 8.* Castrop. *l. c. n. 5.* eò quòd postulans votum tali metu incusso censeatur potius votum offerre, ut medium ad vitandum malum, quam metum inferre, ita ut sit potius oblatio alicujus beneficii, & remedii mali imminenti, ac ideo rationem coactionis habere dici non possit. sic quoque metum gravem injustè incussum ad extorquendum votum jure naturæ illud non invalidat, verius & probabilius censet Castrop. *l. c. n. 6.* citatis pro hoc Bonac. *Tom. 2. d. 4. q. 2. p. 3. §. 1. n. 6.* Suar. *l. c. n. 12.* Sanch. *l. c. n. 9.* Less. *l. c. n. 18.* Azor. *l. c. q. 6.* Siquidem metus talis, sicut non tollit libertatem ad meritum, & demeritum sufficientem, ita nec sufficientem ad votum. nec magis imminuit libertatem, quam metus justè incussus. Unde jam etiam inferitur, valorem voti non impediri ex illata injuria, adeoque ex nullo capite. et si autem ex eo, quòd gravis metus excuset ab observatione voti facti bene probatur, gravi metu coactum vovere, non habere intentionem se obligandi, sed solum simulandi votum, non tamen inde probatur, quòd, si in foro conscientiæ habeat illam intentionem (uti stante metu illam habere potest) votum ex metu factum non valere, ita Castrop. *l. c. n. 8.* ut nec ex eo, quòd DEUS acceptet votum per injuriam extortum, probatur, illum approbare injuriam, dum illam permittere potest in utilitatem voventis, aliosque fines honestos. Sed neque hic excipienda vota religionis in professione emissa, quò minus & hæc metu injustè incusso extorta jure naturæ valeant, uti contra Ponc. *de matr. L. 4. c. 11, n. 15.* habet sententia omnium DD. teste Castrop. *n. 10.* Esse tamen hæc vota religionis metu gravi extorta invalida jure ecclesiastico cum communi præter plures antiquos affirmant Sotus *l. 7. de just. q. 2. a. 1.* Valent. *lc. p. 2. circa finem Nav. Comment. 2. de regular. n. 13.* Azor. *lc. q. 7.* Sanch. *lc. n. 12.* Less. *lc. n. 18.* Sa. *V.*

votum, n. 8. & *metus*, n. 2. *Castrop. cit. p. n. 13.* juxta *c. Sicut qui monasteria*, 20. q. 1. & *c. presens*, 20. q. 3. & juxta quod clarè supponitur à *Trid. s. 25. c. 10. de regular.* dum ibi conceditur quinquennium ad reclamandam nullitatem professionis ob vim & metum & ante debitam ætatem factæ. Quin etiam id ipsum de aliis votis omnibus sentiunt AA. citati præter *Castrop.* citantem pro se *Suar. Tom. 2. de relig. l. de voto c. 8. à n. 5.* junctis iis, quæ tradit *Tom. 3. de relig. l. 6. c. 4. n. 6.* & *Poncium l. 7. de imped. Ordin. c. 19. n. 9.* eò quòd, ut ait, nullum reperiatur in jure fundamentum, quo cætera vota præter professionem religionis irritentur. Nihilominus admittit sub professione religionis vota post biennium emissa in societate Jesu comprehendere debere, quia constituunt verè religiosum & in statu de se perpetuo, quantum est ex parte religiosi, quæ fuit ratio, cur vota solennia in professione emissa fuerint irritata. Idem seu votum ingrediendi religionem ex gravi metu factum esse invalidum dicit *n. 14. cum Suar. lc. ex ratione*, quod, si validum esset tale votum, obligaret facere professionem nullam, cum obligaret ad eam vi talis voti, quod coactum est, adeoque & professio vi illius facta. Quamvis addat hanc necessitatem non tam provenire ex eo, quòd coactio redundet in ipsius voti objectum, illudque reddat nullum & illicitum. De cætero nullum votum irritari ex metu levi cum communi. & AA. supra citatis tenet *n. 15.* prout clarè colligitur ex *c. perlatum. de his qua vi. & c. insinuante qui clerici vel voventes.* Errorem quoque & ignorantiam impedire libertatem & consequenter valorem voti indubitatum est, sed de qua id intelligendum distinctione multiplici opus est, sic itaque primò error seu ignorantia versans circa substantiam seu essentiam illius, nimirum vim obligandi, dum ignorasti illud obligare aut saltem obligare in perpetuum, procul dubio impedit libertatem & valorem illius, quia nihil volitum nisi præcognitum; nisi tamen ignorans hanc obligationem, vellet nihilominus votum pro ut in se est, sive pro ut alii illud emittunt, uti credendum & præsumendum, voventem eo modo votum emisisse, quam diu ei non constar, emissionem voti positivo illo errore infectam fuisse, uti & præsumendum non est illum errorem deposuisse, nisi id probetur ut *Sanch. l. 4. de voto c. 22. n. 22.* Idem de ignorantia seu errore materiæ seu objecti voti, ut dum v. g. vovit quis religionem Carthusianorum credens in ea licere velci carnibus, contrarium tamen est de circumstantiis objecti & extrinsecis ignoratis; cum non reddant ipsum objectum involuntarium, quod ipsum procedit, etiam si circumstantiæ essent tales, ut nullatenus quis votum emitteret, si illas cognosceret; cum illa habitualis dispositio non impediat, quòd minus objectum voti absolute sit volitum; secus tamen, si actum haberet illam nolitionem dicendo: nolo illud objectum si talibus circumstantiis affectum ita *Sanch. l. 4. sum. c. 2. n. 6. Less. lc. n. 10. & 12. Valent. lc. p. 4. Suar. l. 1. de voto c. 12. n. 9. & 10. Castrop. lc. p. 6. n. 4. & c.* Nisi tamen circumstantiæ ignoratæ redudent in ipsum objectum, dum quandoque ita graves sunt (uti est illa de abstinentia à carnibus) ut merito cenleri possint immutare objectum. *Castrop. cit. n. 4. in fine.* Secundò dum error est circa finem; quia is est formalissimum voti objectum movens ad illud: *Suar. Tom. 2. de relig. l. 2. de voto c. 11. n. 14. Less. lc. n. 11. Sanch. lc. c. 14. Castrop. l. c. n. 5.* Talis finis est tri-

plex; primus generalis, nimirum cultus dei, alter specialis & intrinsecus materiæ per votum promissa v. g. in datione Eleemosynæ sublevatio egentiæ proximi, quo deficiente, dum vovet v. g. quis dare petro Eleemosynam, quia creditur egens, qualis non est, votum nullum est. Tertius extrinsecus, dum v. g. quis vovet peregrinationem ad impetrandam filio sanitatem qui credebatur infirmus, qualis tamen non erat, vel jam mortuus; & hic finis deficiens reddit votum nullum. secus est & de occasione & causa impulsiva ad vovendum, ut AA. iidem paulò ante citati siquidem supponunt voluntatem voventis jam determinatam ad vovendum ob alium finem, solumque movent ut facilius & libentius feratur in objectum voti, ergo deficientes, contra quod vovens putabat, reddere illud non possunt involuntarium, porrò tales occasiones & causæ impulsivæ distinguuntur à fine in hoc, quod ad finem spectent, quæ vovens vovendo intendit obtinere, ad causam verò impulsivam illæ quæ jam existunt, aut creduntur existere v. g. dum quis vovet dare Eleemosynam Petro viro valde devoto, finis verus obtinendus est sublevatio miseræ illius, causa impulsiva est petri devotio, ita *Castrop. lc. n. 6.* In dubio autem, num quid sit finis, an tantum occasio, spectandum esse, num deficiente illo, quod occasio dicitur, persistat ad huc verus voti finis, quod si fiat, reputabitur & præsumetur esse tantum occasio. sentiunt *Sanch. l. 4. de voto. c. 2. n. 52. Azor. cit. c. 15. q. 13. Bonac. Tom. 2. d. 4. q. 2. de voto, p. 3. in fine. Castrop. n. 7. & alii.*

5. Dicitur quartò; *facta Deo*; est enim actus religionis seu latræ quò principaliter & immediate deus colitur, & tanquam suprema majestas respicitur, à quo tanquam omnium bonorum autore impetrare aliquid, aut cui pro accepto gratias referre vovendo intendimus, adeoque taliter acceptum votum fieri immediate soli Deo, & non creaturæ quantumcunque excellenti, necesse est dicere. Unde dum in aliquibus religionibus vota professionibus fiunt Deo & B. Virgini aliisque sanctis, sensus est promissionem illam fieri non tam iis, quam coram illis tanquam testibus & Advocatis suâ intercessione à Deo impetraturis, quæ per vota desiderantur, & dum sanctis vota nuncupantur, Deo ad recolendam & honorandam sanctorum memoriam nuncupari intelliguntur ad eum ferè modum, quo ad eorum honorem & memoriam consecrantur templa & altaria & sacrificia offeruntur. ut cum *S. Tho. 2. 2. q. 88. a. 5. Laym. l. 4. tr. 4. c. 1. n. 6. Castrop. l. c. p. 7. n. 2.* Dicens tamen cum *Valent. esse ferè in hoc quæstionem de nomine.*

6. Dicitur quinto. *de meliore bono*, id est, gratiore Deo, quam sit oppositum rei vel operis promissi; aliàs enim obligari quis posset ad omittendum id, quod melius, perfectius, deque gratius est. quæ obligatio & omisio rei honestæ impediens majus bonum posita ex obligatione licita esse non potest, & si aliàs licite res impediens bonum majus executioni dari posset liberè citra obligationem ita *Castrop. l. c. p. 8. n. 1.* De cætero examinare hic in specie plura vota v. g. votum non vovendi vel non petendi dispensationem aut consummationem, num sint de re impediens majus bonum & consequenter invalida, videretur potius relinquendum Theologis moralibus, & in specie delu-

desuper videri potest Castrop. *ir. 16. d. 1. p. 8.*
§. 5. uti & quaestiones illa, num & qualiter vo-
tum necessarium esse debeat de bono possibili, ho-
nesto, quarum affirmativa resolutio à potiore se-
quitur ex eo, quòd esse debeat de bono melio-
re, & non præcepto de quibus Castrop. *loc. cit.*
§. 1. & seq.

Quaest. 883. Quotuplex sit votum?

Resp. Variè dividitur; Et primò quidem in
absolutum & conditionatum. Absolutum
est, quod absolutam habet obligationem, seu quo
res aliqua vel opus v.g. oblatio calicis, peregrina-
tio, ingressus in religionem &c. promittitur sim-
pliciter, seu independentè ab ulla conditione vel
incerto eventu futuro. Conditionatum est, quod
obligationem ab aliqua conditione & eventu fu-
turo dependentem continet v. g. si ab hoc morbo
liberabor, si victoriam reportabo. Ad distin-
guendum verò inter hæc vota, dum quandoque
quæ absoluta sunt, conditionata videntur, & con-
tra, attendendus diligenter affectus, quo fertur
vovens vel directè in rem promissam vel potius in
ipsam conditionem obtinendam vel evitandam;
ita ut in priore casu censetur votum absolutum,
in posteriore conditionatum. Sic v. g. dum quis
vovet ingredi religionem, si annum 16. ætatis
impleverit, vel cursum philosophiæ absolverit,
vel etiam, ut cum Sanch. *l. 4. sum. c. 40. n. 82.*
Suar. *l. 6. c. 22. num. 6. & 7.* Castrop. *loc. cit.*
p. 10. num. 1. si pater obierit. Votum est abso-
lutum, & obligatio ipsa statim inducitur, & non
suspenditur ad eventum illum; quia vovens abso-
lutè fertur in religionis ingressum, & terminus
ille solum adjectus ad commodam voti seu obli-
gationis executionem, quæ eousque suspenditur.
ita Castrop. *loc. cit.* idem dicens de voto, quo
quis voveret ingredi religionem si frater unicus
habuerit filios, & domus successores, est con-
trarium, nimirum esse conditionatum, censent
Suar. & Sanch. eò quòd potius ferri videatur in
successores domus, quam in ingressum suum in
religionem.

2. Secundò dividitur in simplex & solenne,
in quorum explicatione & distinctione non ita
conveniunt AA. Et primò quidem prætereundo
eam tanquam minis conformem decisioni *c. unic.*
h. t. num. 6. quæ aliqui voluerunt solenne nuncu-
pari à consecratione & benedictione spirituali,
aut aliquo ritu simili ac solemnitate externa, dum
constat vota solennia tam expressa quam tacita
hodieum fieri sine talibus solemnitatibus, & è
contra vota aliqua simplicia (qualia sunt vota co-
adjutorum formatorum in societate Jesu) fieri ad-
hibitis solemnitatibus, nimirum publicè & in su-
perioris manibus ferè sicut ipsa professio. Aliqui
solennitatem hanc statuunt cum Valent. *Tom. 3.*
d. 6. q. 6. p. 7. Henriq. *l. 12. c. 5. à num. 3.* in
traditione sui ipsius, quæ vota substantialia reli-
gionis emittens eidem se tradit in perpetuum, præ-
lato nomine illius ea acceptante. Verùm hanc
sui traditionem junctam acceptationi prælati non
sufficere adhuc ad solennitatem, ex eo patet, quòd
per vota substantialia post biennium novitatus
edita, constituenta verè religiosum, fiat vera
istiusmodi traditio sui perpetua superiore illam
acceptante, & tamen sint solum simplicia, unde
alii insuper ad solennitatem requirunt, ut vicif-
sim religio se se obliget irrevocabiliter ad voven-

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

tem retinendum. Sed neque etiam hæc sufficere
ad solennitatem, sed necessè esse, ut votum ex
speciali Ecclesiæ constitutione ita reddatur perpetuum
& irrevocabile, ut nulla potestate ordinaria
& seclusa auctoritate pontificia relaxari queat, ac
insuper vovens reddatur ad actus voto repugnantes
v. g. ad matrimonium inhabilis, in quo po-
stremo tamen convenit cum votis post biennium
in societate emissis, ac ita juxta *cit. c. unic.* tra-
dunt Azor. *p. 1. l. 12. c. 6. q. 1.* Sanch. *l. 5. mo-
ral. c. 1. num. 6.* Suar. *Tom. 7. de relig. l. 2. c. 10.*
à num. 5. Castrop. *l. c. num. 5.* Wietn. *h. t. n.*
19. Pirh. *h. t. num. 5.* unde jam etiam hi AA. in-
ferunt, votum simplex & solenne non distingui
essentialiter ex eorum natura, sed accidentaliter
& extrinsecè ex sola illa Ecclesiæ speciali disposi-
tione, ac ita spectato jure naturali ac divino per
se utrumque votum æqualiter obligare, etsi per
accidens solenne magis obliget quam simplex ex
dicta constitutione Ecclesiastica. Atque ex his jam
patet, quid sit votum simplex nimirum, quod
destituitur ista perpetuitate inducta ex dispositione
Ecclesiæ.

3. Tertio dividitur in expressum & tacitum.
expressum, quod editur verbis, scripturâ, nutu-
bus Deo aliquid promittendi & se obligandi vo-
luntatem declarantibus. Tacitum, quod decla-
ratur seu præsumitur potius ex signis quibusdam
à jure statutis, v. g. votum continentia ex sus-
ceptione ordinum sacrorum, vota solennia reli-
gionis & gestatio habitus professis proprii, vel
exercitio actuum competentium solis professis.

4. Quarto dividitur in reale; cum res externa
promittitur v. g. pecunia, domus, equus. Et per-
sonale, dum promittitur actio à persona diman-
ans & mixtum. nimirum ex reali & personali,
quale v. g. est votum peregrinationis, utpote quod
præter laborem, molestiam corporis, animi devo-
tionem, continet sumptus itineris.

5. Dividitur Quintò ex parte materiæ in ne-
cessarium, nimirum de re, quæ aliàs etiam neces-
sitate præcepti exequenda; dubitare enim non li-
cet votum propriissimè esse posse de operibus præ-
ceptis; cum sint honesta & Deo grata, & ita,
ut opposita ei ingrata sint. Esseque hanc verita-
tem catholicam asserit Castrop. *l. c. p. 8. §. 4. n. 1.*
& ita sentiunt citati ab eo D. Tho. *2. 2. q. 88. a.*
2. & ibi. Cajetan. du. 1. Suar. *To. 2. de relig. l. 2.*
de voto. c. 6. a. n. 4. Less. *l. 2. c. 40. du. 7. n. 47.*
& seq. Laym. *l. 4. sum. tr. de voto. c. 2. num. 9.*
Azor. *p. 1. l. 11. c. 13. q. 1.* Sed neque obligatio
una alteram circa rem eandem impedit, sed potius
virtutem promovet & voluntatem in bono firmio-
rem reddit, ut pluribus vinculis obstrictam. Et
in liberum; nimirum de re, quam quis liberè ex-
equi potest vel omittere. Quæ divisio aliis qua-
que terminis exprimi solet, nimirum dividendo
votum in commune, utpote quod est de rebus
quæ ab omnibus communiter tanquam præcepta
observari debent; & singulare, quod est de rebus,
quarum obligatio pro singulorum arbitratu susci-
pitur. de quo vide Castrop. *l. c. n. 4.*

*Quaest. 884. Quæ & qualis sit obligatio
voti?*

Resp. Ad primum: Votum obligare ad sui
executionem de fide esse, & lumine naturali
notum rectè ait Castrop. *l. c. p. 11. n. 1.* Si enim
fidem datam homini promittendo obligare promit-
tentem ex fidelitate ad exequendum, quod promif-
sum

N n n n

sum

sum est, constat ex lumine naturæ, multò clarior ex eodem constat, fidem datam Deo obligare ad servandam illam; cum etiam talis fidelitas respectu Dei sit vera religio, quâ colitur Deus. Castrop. l. c.

2. Resp. Ad secundum primo: Obligatio hic commensuratur intentioni voventis, ita ut is neque aliud vel majus minusve; neque alio tempore, loco, modove, quàm quo is intendit, præstare teneatur; eò quòd, cum votum sit lex privata de re aut actione præstanda, quam sibi ipsi quis imponit, non minus commensuranda ejus obligatio propriæ voluntati voventis quàm obligatio legis publicæ intentioni & voluntati legislatoris, unde, etià obligatio voti ex genere suo gravis sit, quippe grave est Deo fidelitatem præstare & cultum debitum exhibere, ut sentiunt omnes, posse tamen ex sola intentione voventis obligationem non nisi ad culpam venialem limitari, inferunt Suar. l. c. l. 4. de voto. c. 4. n. 7. Sanch. l. 1. de sponsal. d. 9. n. 6. quos citat & sequitur Castrop. l. c. p. 11. n. 4. contra Vasq. 1. 2. d. 158. c. 4. n. 34. Sotum. de just. q. 2. a. 1. in corp. Pont. l. 12. de sponsal. c. 2. n. 12. His non obstantibus, quòd obligatio promissionis Deo factæ sit ex lege divina & naturali. Nam cum sit ex ea non nisi dependenter à voluntate promittentis & hæc non sit nisi ad culpam venialem lex divina non obligabit nisi ad eam solam. Cujus contrarium est in juramento, quòd, quia consistit in adducendo Deum in testem rei assertæ, non suscipit magis & minus, ejus obligatio ex voluntate jurantis limitari nequit. Neque etiam, quòd in sponsalibus, professione religionis, voto castitatis emissio in susceptione ordinum non possit promittens velle se leviter tantum obligare, quia id in illis contractibus est speciale; cum hæc voluntas sit contra naturam & solemnitatem similibus contractuum, secus autem sit quando res promissa non exigit hanc gravem obligationem. Neque etiam quòd in materia levi nequeat quis se velle obligare graviter, quia Deus talem voluntatem utpote perfectioni spirituali non conducentem, sed potius salutis periculum inducentem, & versantem circa materiam gravis obligationis incapacem non acceptat. ita Sanch. l. 4. sum. c. 12. n. 6. Suar. l. c. n. 6. Castrop. l. c. n. 5. De cætero ex levitate materiæ posse votum obligare leviter sentiunt Suar. l. 5. de voto. c. 4. n. 5. Nav. in sum. c. 12. n. 40. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 4. q. 2. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 2. Azor. p. 1. l. 11. c. 15. q. 4. Less. l. 2. c. 40. du. 9. Sanch. l. 4. sum. c. 12. n. 5. Castrop. l. c. n. 6. cum communi. Siquidem hæc obligatio fidelitatis suscipit magis & minus pro materiæ gravitate, uti etiam commune in omnibus præceptis est obligationem ex suo genere gravem fieri levem seu venialem ex levitate materiæ. His iterum non obstante, quòd, etsi materia levis, si tamen juramento confirmetur sit gravissima. Nam id ex inde est, quòd mendacium seu falso assertum tribuatur Deo, quantum est ex parte jurantis, ac æquè repugnat infallibili veritati sive grave, sive leve sit; non autem non præstando promissum Deo tribuatur quid repugnans ejus bonitati aut veritati, ita Castrop. l. c. Porro parvitas materiæ in votis inde desumenda est, unde desumi solet in reliquis præceptis, de quo videndi Theologi morales & in specie Castrop. l. c. n. 7.

3. Resp. Ad secundum Secundò: Votum de re aliàs non præcepta solam obligationem fidelitatis inducit, & non simul obligationem illius virtutis, ad quam pertinet materia promissa, etsi

ad eam speciali affectu feratur voventis, Castrop. l. c. num. 8. citans Suar. l. 4. sum. c. 3. num. 11. contra Sanch. l. 4. de voto. c. 11. num. 6. & Valent. l. c. q. 1. voventis enim, quamvis speciali affectu feratur in dictam materiam, non potest illius habendæ obligationem aliam sibi imponere, quàm quatenus eam Deo promittit; ex hac autem ratione solum nascitur obligatio servandæ fidei absque speciali obligatione ad materiam, utpote quæ accidentaliter respicitur, ita Castrop. l. c. inde cum Cajetano Sanch. & Suar. colligens transgressiones votorum omnium esse ejusdem speciei infimæ, quia eorum malitia tota consistit in non servatis promissis, quorum diversitas materialiter se habet ad transgressiones votorum,

4. Resp. Ad secundum Tertio: Votum de vitandis actibus solum externis editum à nolente se obligare ad actus internos vitandos, non videtur obligationem inducere, quia est de re impossibili; cum actus externi prohiberi nequeant, nisi simul prohibeantur interni illis directè correspondentes, quia sine illis esse non possunt. V. g. fornicatio sine voluntate fornicandi, promitti non possunt, quin & interni promittantur adeoque nec dari obligatio vitandi externos, quin detur obligatio vitandi internos, à quibus essentialiter dependent. Secus est de actibus internis non conjunctis necessariò cum externis, qualis, quia v. g. est delectatio morosa de fornicatione, promitti seu voveri potest vitanda fornicatio, absque eo, quòd promittatur vitanda dicta delectatio & sic non obligatur vi talis voti ad illam vitandam ita ferè Castrop. l. c. n. 10. cum Sanch. l. 4. sum. c. 11. num. 12. & Vasq. 1. 2. d. 112. c. 2. n. 9.

Quest. 885. Qualis sit obligatio voti indeterminate concepti quò ad tempus, quantitatem, qualitatem vel indivisibilitatem.

1. Resp. Ad primum: Votum dupliciter esse potest indeterminatum quò ad tempus, dum nimirum non exprimitur, quo tempore executioni dandum, aut quam diu durare debeat. Quòd attinet ad primum: Dum tempus, intra quòd votum executioni dandum determinatum quidem est v. g. annus pro ingressu in religionem, mensis pro danda elemosyna, patiatur tamen adhuc suam latitudinem, & sic indeterminatum quâ parte hujus temporis implendum; dubium non est, votum pro nulla determinata parte istius temporis obligare ad sui executionem, sed posse per se loquendo impleri quacunque die intra illud. Nihilominus tamen si quis praveat se impediendum ab ejus executione postrema temporis hujus parte, tenetur prævenire illum terminum v. g. dum quis vovit die aliquo certo audire sacrum & praveat post horam octavam se impediendum ab eo audiendo, tenetur illud audire ante octavam, non secus ac contingit in impletione aliorum præceptorum Ecclesiasticorum, qua non prævenit quis tempus obligationi designatum, quòd est totus v. g. annus, totum tempus matutinum, quò missæ celebrantur, sed tempus ineptum obligationis executioni ita Castrop. l. c. p. 13. num. 3. citatis Sanch. l. 4. de voto. c. 14. num. 18. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. num. 5. Suar. l. 4. de voto. c. 12. n. 7, non tamen tenetur totum tempus designatum præ-

prævenire seu anticipare aut etiam posticipare. V.g. qui vovit jejunium pro die veneris, & deinde prævidet se illa die non posse jejunare, non tenetur jejunare die jovis aut Sabbathi, quia cum mensura obligationis voti sit intentio voventis, & hæc solum sit pro tempore signato, pro alio tempore non est astruenda. Suar. l. c. à num. 5. Bonac. Tom. 2. d. 4. q. 2. p. 6. §. 1. num. 13. Castrop. l. c. num. 2. Quod si votum editum sine ulla temporis determinatione, statim obligat & impleri debet, cum primum spectatis circumstantiis impleri potest. Ita cum communi & certa Sylv. v. votum. 2. q. 2. §. 1. Azor. l. c. c. 15. q. 10. Bonac. l. c. p. 5. §. 1. in princ. Sanch. l. 4. in Decal. c. 14. num. 5. Suar. l. c. n. 6. Castrop. l. c. num. 4. Laym. l. c. Pirh. h. t. num. 8. juxta illud Deuter. c. 23. v. 21. Cum votum voventis domino Deo tuo, non tardabis reddere, & si tardaveris, reputabitur tibi in peccatum; ex ea etiam ratione, quod obligatio nascitur ex promissione hominis & acceptatione Dei. Is autem eam acceptat mox à facta promissione, ita tamen, ut particulæ: *Quam primum, statim*, quod ad executionem accipi debeant cum aliquo temperamento & spatio temporis juxta arbitrium prudentis considerantis circumstantias rei promissæ & conditionem voventis. Arg. l. 105. ff. de solar. l. 41. §. quoties. ff. de V. O. & §. omnis stipulatio. Just. eod. junctâ Gl. v. confestim. atque ita creditur cum tali temperamento voluisse voventem obligare; His tamen non obstantibus ex juxta causâ differri potest executio pro ut constat ex c. non est. h. t. inter quas causas numeratur à Sanch. l. 4. mor. c. 14. num. 8. Castrop. l. c. Bonac. l. c. p. 5. n. 2. Pirh. h. t. num. 9. Si spes sit fore, ut postmodum votum melius, quietius, majore cum devotione impleatur, v. g. si vovens ad religionis labores & austeritates perferendas necdum satis idoneus, sperat se idoneum fore post aliquod tempus, vel si differat ad acquirendam majorem in studiis eruditionem, unde evadat religioni utilior, quia hoc ipsum videtur cedere ad majorem Dei honorem. Vel si parentes ægrè ferant ingressum in religionem. ita Castrop. l. c. nisi tamen probabile sit periculum ex tali dilatione secuturi impedimenti perpetui, aut valde diuturni. Si verò impedimentum reddens executionem valde difficilem, idque sit temporale, differri debet executio, donec commodius & quietius ea fieri possit. Vel si impedimentum sit perpetuum, votum redimendum seu commutandum, vel in eo dispensandum est. Pirh. n. 10. In eo verò, quando dilatio executionis constituat peccatum mortale, variè loquuntur AA. probabilius sentire videtur cum Sanch. l. 4. de voto. c. 14. num. 12. Castrop. cit. p. 13. n. 7. in votis religionis & perpetui servitii in Xenodochio dilationem post nactam opportunitatem explendi ea ad sex menses censendam esse continere culpam gravem; eò quod cedat in gravem diminutionem cultûs divini & propriæ utilitatis; secus esse de dilatione minore ob tanti operis, ac perpetui servitii exequendi difficultatem; in aliis verò votis, quorum dilatio non ita cedit in tam notabilem diminutionem cultûs divini, non nisi dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem, præcindendo tamen à periculo oblivionis, vel nimium diuturnæ dilationis alteriusve impedimenti, cui periculo se exponere foret peccatum mortale. Quod attinet ad alterum, nimirum durationem obligationis ex voto, dum illud

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.

quod ad hoc determinatum non est, censetur ea perpetua. V.g. dum quis absolute vovit castitatem, vel jejunium singulis sextis feriis, censetur pro semper vovisse; secus, si vovisset jejunare nullo addito signo distributivo, tunc enim satisficeret uno jejunio. Castrop. loc. cit. p. 17. num. 22.

2. Resp. Ad secundum: Votum reale indeterminatè quò ad quantitatem & qualitatem rei promissæ editum, ex ea indeterminatione non vitatur, quia adhuc est de re honesta & possibili, nam etià illud exequi sub illa indeterminatione sit impossibile, obligat tamen ipsum votum tollere illam indifferentiam. Ita Abb. in c. ex parte. de censibus n. 5. Azor. p. 1. l. 11. c. 20. q. 2. Sanch. l. c. c. 13. à num. 3. Suar. Tom. 2. de relig. l. 4. de voto. c. 7. n. 15. Castrop. l. c. n. 23. obligat autem non nisi ad quantitatem minimam & qualitatem utilem præstandam, nisi ex recepta consuetudine aliisve circumstantiis contrarium colligatur. Abb. l. c. à num. 7. Azor. l. c. Suar. l. c. n. 18. Sanch. l. c. n. 8. & seq. Castrop. num. 24. Laym. l. c. c. 3. n. 3. aliique communi juxta cit. c. ex parte. & l. nummis. ff. de legat. 3. & Arg. reg. 30. de reg. juris in 6. in obscuris & dubiis minimum est sequendum. Ex ea etiam ratione, quod votum, dum de mente voventis determinatè non constat, strictè interpretandum, ita ut ad plus non obliget, quàm necessarium est ad verificationem rei promissæ, hæc autem æquè verificetur in minima parte sui utili. Sed neque contrarium deducitur ex L. Triticum. & l. qui insulam. ff. de V. O. junctâ Gl. in L. lato. ff. de legat. 1. v. possimus. Secundum quas rei promissæ vel legatæ incertitudine stipulatio & legatum redduntur nulla. Nam præterquam quòd ex nullitate legati vel promissionis prophanæ non inferatur rectè ad causam piam (qualis est materia voti) utpote quæ ex æquitate canonica sustinetur, ut rectè probat Tiraquel. de privileg. caus. pia. privileg. 55. & determinanda relinquuntur arbitrio viri boni, ponderantis facultates promittentis aliasque circumstantias; his legibus civilibus opponi possunt alii ejusdem juris civilis textus. v. g. cu. l. nummis. Secundum quam legatum indeterminatè non donandum secundum majorem quantitatem, sed secundum minorem, ne hæres nimium graviter utpote quem testator præsumitur quàm minimum gravare voluisse, satis probabile astruit Castrop. cit. num. 24. item L. cum post. §. gener. ff. de jure dotium. ubi dos generaliter nimis promissâ faciendâ dicitur prudentis viri arbitrio juxta facultates promittentis & mariti dignitatem; favor autem causæ piæ non est minor, quàm favor dotis. Ideo autem in L. Titia. §. 2. ff. de auro & arg. legat. dicitur ab hæredibus ejus, qui in æde sacra vovit vel legavit statuam, potius argenteam quàm auream deberi, quòd, cum in ea æde non extarent nisi statuæ aureæ & argenteæ, vel ex ipsâ circumstantia satis constet de mente legantis. Uti & ob eandem rationem legatum, vel promissum calicis factum Ecclesiæ, in qua nulli calices stannei vel cuprei extant, accipiendâ de calice argenteo, astruunt Abb. in c. ex parte de censibus. n. 5. & Sanch. apud Wiestn. h. t. n. 23.

3. Resp. Ad tertium: Votum factum indeterminatè quò ad individuacionem, dum v. g. quis ex duobus vel calicibus aut equis, quos habet, vovit unum,

N u n n 2

non

non obligatur ex iis præstare pretiosorem, sed sufficit dare, quem maluerit. Sanch. cit. l. 4. c. 13. n. 19. Molin. de f. & p. tr. 2. d. 270. n. 6. Castrop. l. c. n. 25. Bonac. Tom. 2. d. 4. q. 2. p. 6. n. 32. Arg. cit. c. ex parte & l. qui ex pluribus ff. de V. O. ubi id de promissione facta inter homines habetur. Quòd si verò cæteris individuis pereuntibus ante voti impletionem, remanet unicum probabilius videtur voventem adhuc obligari ad illud præstandum ut tenent Bonac. l. c. d. 404. 2. q. 6. n. 34. Castrop. cit. p. 12. n. 26. Wiestn. h. i. n. 30. ex ea ratione, quòd in tali voto nullum individuum sit determinatè promissum, sed quodlibet promissum sub disjunctione, cum faciat hunc sensum, dabo unum ex his individuis. V. G. calicibus, quos habeo, sive dabo hunc vel illum, adeòque remanente uno calice, remanet tota materia sufficiens ad executionem voti & sic vovens tenetur votum implere; contrarium tamen tenentibus Molin. l. c. vers. quando res una. Sanch. l. c. eò quòd unum individuum non sit magis promissum, quam alterum, cui tamen opponitur, quòd omnes æquè sint promissi sub disjunctione. Quòd si denique res determinata quidem promissa est, sed vovens ignorat, cui ex duabus Ecclesiis promissa, posse eam applicare uni, cui maluerit, sentit Sanch. l. c. n. 18, eò quòd, cum vovens, ex cuius voluntate tota dependet obligatio, nesciat, quàm ex illis ecclesiis determinaverit; non sit, unde eius obligatio determinata censeatur, veriùs tamen censet Castrop. l. c. n. 27. voventem in hoc casu teneri rem dividere. Dum enim is cognoscit, se rem uni ex illis Ecclesiis determinatè promississe, ignorat autem cui, non tollitur, quòd minùs uni ex illis debita fuerit ea determinatione, quam is revocare non potest; recta ratio dictam divisionem pro qualitate dubii postulare videtur, ut vel sic meliore modo possibili ex parte sua contracto debito satisfaciatur, & ne aliàs, rem integrè donando uni Ecclesiæ, exponat se periculo rem tradendi uni, cui ea non debetur.

Quæst. 886. Votum conditionatum qualiter obliget.

1. **R**esp. Primò: Conditio de præsentem vel præterito obligationem voti non suspendit, si enim ea adfuerit aut adsit, statim confurgit obligatio, si autem non adsit vel non adfuit, votum redditur nullum, nullaque oritur obligatio. Sic neque conditio necessariò futura suspendit obligationem, cum habeatur pro impleta, quia impediri nequit. Azor. p. 1. l. 11. c. 15. q. 9. post. med. Sanch. l. 4. de voto. c. 23. n. 5. Castrop. l. c. p. 17. n. 1. sicut è contra conditio impossibilis votum reddit nullum, quia nunquam obligare potest. Secus, ac accidit in conditione impossibili adjecta matrimonio & ultimæ voluntati, utpote quæ ex dispositione juris habetur pro non adjecta, qualis dispositio nulla reperitur in votis. Sanch. n. 8. Castrop. l. c. conditio quoque turpis regulariter votum reddit nullum, quia est de re illicita, cum v. g. Eleemosyna, licet de se sit honesta, promissa tamen sub conditione turpi v. g. fornicationis, si ab ea actum turpem obtinuerit; mala est, quia actus ille turpis regulariter induit rationem finis, qui inficit promissionem eleemosynæ aliàs de se bonam. Ita Less. l. 2. c. 40. dub. 5. n. 36. Sanch. cit. 8. l. 4. c. 16. n. 17. Bonac. d. 4. q. 2. de votop. 2. concl. 2. Castrop. l. c. qui tamen tres postremi ideo

addunt: *ò regulariter*, quia censent, quòd, si solum ut pura conditio apponeretur, voti obligationem non impediret.

2. **R**esp. Secundò: Voto emisso sub conditione futura contingente honesta, ejus obligatio suspensa manet usque ad conditionem impletam, eà autem impletà votum obligat, ac si tunc esset emissum absolutè, quia delinit esse conditionatum. Quòd si verò appositæ sint plures conditiones copulativè, omnes impleri debent, priusquam votum obliget, fecus, si disjunctivè appositæ, siquidem ad verificationem propositionis copulativæ utriusque partis complementum requiritur; ad verificationem verò propositionis disjunctivæ, unius partis implementum sufficit. Quandonam autem conditio censeatur impleta specialiter in voto ingrediendi religionem sub consensu parentum, fusè examinat Castrop. l. c. n. 3. Porro an conditio impleri debeat in forma specifica, an sufficiat impleri æquivalenter; posterius (modò tamen per æquivalentiam illam obtineatur idem effectus intentus) citatis pluribus aliis tenent Sanch. l. c. c. 23. n. 27. contrarium sentit Castrop. l. c. n. 5. juxta commune & tritum illud; conditiones in forma specifica impleri debere per l. qui heredi. §. 1. & l. Marcius. ff. de condit. & demonstr. quia conditio induit formam; à qua regula licet excipiantur conditiones, quæ tanquam dispositiones & media assumuntur ad effectum intentum, ita ut necessarium non sit eas in forma specifica impleri, si æquè alià vià effectus obtinetur. Ut latè Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 185. n. 6. id tamen ipsum ex juris dispositione habetur, quæ dispositio, cum in votis eorumque obligationibus non invenitur, idem dicendum non est de conditionibus illis adjectis, cum tota votorum obligatio non ex lege, ut in humanis contractibus, sed ex intentione voventis pendeat, eaque adstricta sit illi conditioni, non videtur sufficere, quòd altera illius loco substituitur, etsi finis intentus æquè, imò perfectiùs obtineatur; quòd pluribus exemplificat Castrop. l. c. quem vide. De cætero, si impletio conditionis dependet à voluntate voventis, non teneri illum exspectare conditionis eventum, sed posse eum reddere se inhabilem ad ponendum eam, assumendo statum incompatibilem cum ea, & sic declinare obligationem voti absque eo, quòd per hoc peccet; ut Sanch. l. c. c. 23. num. 40. & 41. Laym. l. 4. tr. 4. de voto. c. 6. q. 1. Suar. Tom. 2. de relig. l. 4. de voto. c. 17. n. 15. Castrop. l. c. num. 7. qui id verissimum dicit, quando conditio, sub qua votum obligat, nulla lega præcipitur v. g. qui vivit religionem, si luserit hoc anno, ante impletam hanc conditionem contrahendo matrimonium, quia hac nihil faciat contrarium voto, sed solum renuat conditionem suæ voluntati relictam, sub qua & non aliter obligari voluit. Secus est, si conditio pendeat à voluntate alterius; tunc enim ad eventum illius, obligandumque se tenetur non reddere impotentem sub peccato, ne aliàs frustra & inutiliter sub aliena voluntate videatur subisse obligationem, si possit eam pro libitu suo elidere & frustrare, ita Sanch. l. c. c. 23. n. 28. Bonac. cit. d. 4. q. 2. n. 5. Castrop. l. c. n. 6. Si tamen conditio ab aliena voluntate dependens sit lege prohibita, tenetur omnimodo eam impedire, uti è contra obligatus est vi voti eam non impedire, si lege prohibita non est; quia vovens sub conditione pendente ab aliena voluntate in eius

voluntate

voluntatem sui voti obligationem remittit. Laym. l.c. concl. 2. Suaz. l.c. n. 16. Sanch. l.c. n. 45. Bonac. Castrop. LL. cit. Plures casus particulares in quibus vovens impediendo conditionem peccet graviter vel non, vide apud Castrop. l.c. à n. 8. uti & n. 11. an culpabiliter impediens voti conditionem teneatur voto, ac si conditio defacto impleta esset.

Quaest. 887. qualiter votum pœnale obliget?

Resp. votum pœnale, quod quis, vg. intendens fugere fornicationem emittit imponendo sibi pro pœna peregrinationem molestam, si in eam inciderit, validum est, & commissio delicto absolute obligat, quia materia commissæ & conditio, sub qua promittitur, sunt honesta, & majoris boni non impeditiva, ut cum communi Cajet. 2. 2. q. 88. a. 2. Covarr. de pœnis p. 1. §. 3. n. ult. Sanch. l.c. c. 17. n. 3. Castrop. l.c. p. 18. n. 1. sitque hoc votum dupliciter. Primò si solum quis vovet pœnam, nempe peregrinationem, si delictum committat; non autem vovet vitare delictum, & hoc est votum pœnale simplex; quia est solum de pœna, supposito delicto. Secundò si quis vovet & vitare delictum, & simul pœnam, si delictum committat, estque hoc votum duplex, & quidem quatenus est votum vitandi delictum, est votum absolutum; secus, quatenus vovet pœnam, quia ad eam non obligat, nisi supposito delicto. Castrop. l.c. n. 2. non tamen manet obligatus ad pœnam, si, dum committit delictum, invincibiliter ignorat, vel oblitus se eam vovisse, quia pœna, quæ non est propria delicti, neque per se delicto annexa, contrahi nequit, quin saltem cognoscatur lex, per quam lata est, potest autem quis cognoscere, se vovisse fugere delictum, absque eo; quòd cognoscat, se sub pœna hanc fugam promississe, adeoque ab eo quòd cognoscat legem, perquam imposta pœna. Porrò in hoc casu duplicis talis voti sublato per dispensationem vel irritationem voto de non committendo delicto, censerique quoque sublatum votum de incurrenda pœna, utpote accessorium priori tenent Sanch. l.c. c. 22. n. 9. Laym. l. 4. tr. 4. c. 9. Coroll. 2. Castrop. n. 4. ad obtinendam etiam illam dispensationem voti principalis necesse non est facere mentionem dicti voti accessorii, consenti enim; cum non annectatur voti principalis observationi, sed potius illius transgressioni, adeoque licet quòd ad observationem voventem reddat securiorem, materiam voti principalis digniorem, aut Deo gratiorem non reddit, quæ est ratio cur ad obtinendam dispensationem in voto peregrinandi Romam in sacco, hujus circumstantiæ debeat fieri mentio. In eo verò numtoties sit incurrenda pœna, sub qua emissum votum vitandi delictum, quoties illud iteratur, an sufficiat solum prima vice post delictum commissum, illam subivisse, res non videtur carere difficultate. posterius quidem tenent Sanch. l. 4. sum. c. 14. n. 40. Bonac. l.c. di. 4. q. 2. p. 5. §. 1. n. 5. Sa. v. votum n. 26. eò quòd pœnæ non sint multiplicandæ sine manifesta ratione, & obligatio voti in dubio non extendenda illudquæ verum esse existimat Castrop. l.c. n. infine. cum Sanch. l. 4. de voto. c. 22. n. 21. quando pœna gravissima est vg. religionis ingressus, peregrinatio romana, aut exorbitans eleemosyna, quæ iterari non solet, aut etiam non potest; ubi pœnæ sunt moderate, verius esse censet, cui libet transgressionem suam pœnam correspondere, & ad illam transgressorem voluisse se obligare; cum hac ratione efficacius se à delicto præservet, & in bono contineat.

Quaest. 888. quemam persone se voto obligare possint.

1. Resp. primò omnes homines ratione utentes voto se possunt obstringere, nisi specialiter impediatur seu prohibeantur D. Tho. 22. q. 88. a. 8 & 9. cum omnino communi, quia rem honestam & Deo gratam promittere possunt, quam si Deus acceptet, hoc ipso voto obstringuntur, sicut autem Deus potest promissiones etiam de re honestissima non acceptare, ut patet in professione emissa ante annum 16. ætatis, sic idem nomine Dei potest Ecclesia, & sic nolendo acceptare à certis personis emissa, aut non nisi certis conditionibus affecta, easdem ad vovendum simpliciter, aut in his aut illis circumstantiis inhabilitare; cum sicut votorum jam factorum obligationem remittere, ita etiam, ne facta obligationem inducant, impedire possit, quamvis de facto in jure præter emissionem professionis dictis annis nullus reperiat casus, in quo vota de re honesta, non impeditiva melioris boni non acceptet, & sic ad ea emittenda inhabilitet quenquam. ut Suar. l. 3. de voto. 3. & 4. Sed nec inhabilitare potest ad emittenda vota in materia præcepta, cujus executionem nullatenus impedire potest superior, & quorum propterea valor ab ejus consensu est independens. ut cum D. Tho. l.c. a. 8. & 12. ad 2. Suar. l.c. c. 5. à n. 3. & c. l. à n. 3. Less. l.c. à n. 75. Castrop. l.c. q. 19. n. 5. His non obstante, quòd religiosi plenissimè subjecti prælato non habeant velle aut nolle, adeoque sine illius consensu facta ab iis vota omnia videantur irrita, uti idem dicendum de votis impuberum respectu parentum & tutorum: nam subjectio illa religiosorum & impuberum non impedit illorum liberum usum voluntatis circa licita & honesta juri superiorum non præjudicantia, sed solum impedit, ne ita liberè arbitrio utantur, unde licitum non est monacho vovere abstinentiam sine licentia abbatis, quia ob defectum licentiæ alii illius defectus consensu scandalizantur. Ut Castrop. l.c. citatis Suar. l.c. Sanch. l. 4. c. 25. n. 6. Less. l.c. n. 74. Laym. l.c. c. 7. n. 4. Sed neque votum religiosi, impuberis, uxoris, servi de materia illis absolute interdicta est nullum, quia incapaces ad vovendum; Sed quia talis voti materia est incapax obligationis, quòd de voto rei interdicta, quia mala est, certissimum ait Castrop. n. 6. multòque magis id procedit in votis de re honesta solum prohibita quòd ad modum, prohibente vg. prælato, ne subditi sui tali vel tali die jejurent sine sua licentia; quia votum tale factum sub intellecta conditione, si prælatus consenserit, validum est ita Suar. l. 3. de voto c. 6. n. 9. Sanch. l.c. c. 25. n. 8. Less. l.c. Laym. l.c. n. 6. concl. 4. Castrop. l.c. n. 7. Tenetur autem vovens vi talis voti petere licentiam, quia promissum absque tali licentia materia voti non est, unde, ut talis sit, licentia sub promissa continetur & consequenter etiam illius petitio, utpote medium ad eam obtinendam necessarium Castrop. n. 8. quem vide ibidem de hoc fusius. An verò petendo licentiam necesse sit manifestare votum, non ita convenit inter AA. Affirmant Valent. 2. 2. d. 6. p. 6. q. 2. Less. l.c. n. 73. AZor. p. 1. l. 12. c. 16. q. 6. & alii citati à Sanch. cit. l. 4. c. 23. n. 28. eò quòd hæc manifestatio regulariter conducatur, ut facilius licentia concedatur, & tibi neganda, prudentius negetur. Negant è contra Suar. l.c. n. 15. Laym. l. 4. tr. 4. c. 7. vers. Sed questio est. Sanch. l.c. c. 25. n. 29. Castrop. n. 9. & alii ex ea ratione, quòd ex vi voti vovens solum fuerit obligatus ad petitionem licentiæ; ad hanc

autem illiusque concessionem necessaria non sit voti manifestatio; cum etiam cessante voto peti & concedi poterat hæc licentia. Adde quod, cum incertum sit, num manifestato voto facilius sit obtinenda licentia, vovens ad hanc licentiam procurandam non obligetur. Ita AA. pro hac sententia citati.

2. Atque jam ex his deducitur, qualiter possint, & aliter non possint religiosi vovere eleemosynam ex iis bonis, quorum usum & administrationem habent, nimirum quod id possint, & valeat votum dum à majore superiore non interdicitur, & factum sub ea conditione, si superiori placuerit, ac proinde obligentur licentiam ab eo petere, nisi jam præscripta consuetudine concessa sit. Sanch. *l.c. n. 13*. Suar. *l.c. 13. c. 7. an. 3*. Castrop. *n. 10*. idem dicendum à potiore si voverint Eleemosynam de bonis conventus, quorum administrationem non habent ut Castrop. *l.c.* cum Sanch. Idem est devoto uxoris, filii familias, servi, quod votum dandi Eleemosynam facere possint, & quidem de bonis propriis, ut, etiam contradicente marito, patre, domino, non cesset obligatio. De bonis verò mariti, patris, domini, vel quorum administrationem habent, non valeat seu obliget votum, nisi sub ea conditione factum; si illi permiserint hæc bona alienari. Item de voto Episcopi ingrediendi Religionem, qui cum renunciare nequeat Episcopatu sine consensu pontificis, tale votum emitte non potest, nisi sub conditione licentiæ hujus obtinendæ. Idem de voto peregrinationis illorum ita longæ, ut residentiam, ad quam jure divino tenentur Episcopi, impediatur, quod illud validè hodie dum emitte nequeant, nisi sub conditione obtinendæ à papa licentiæ seu dispensationis super illa residentia; cum hac seclusa sit quid illicitum, tenent Suar. *l.c. l. 3. c. 4. an. 4*. Sanch. *cu. c. 25. n. 39*. Barbosin *c. 11. h. t. n. 3*. tamen olim, quando omnibus generaliter concedebatur aditus in terram sanctam, licitum erat prælati emitte votum eundi in subsidium Hierosolymitanum, illudque exequi inconsulto Romano pontifice, ut Barb. *l. c.* citatis pluribus aliis. Verum hodie dum tale votum regulariter esse invalidum, utpote de re impeditiva majoris boni, quale bonum absolutè majus est Episcopum residere in sua Ecclesia ad pascendas suas oves, quàm longis peregrinationibus indulgere, docent Sylv. *v. votum 2. q. 2*. Azor. *l. c. c. 16. q. 2*. Sayr. *in clavo. reg. L. 6 c. 5. n. 24*. & alii citati à Sanch. *n. 38*, quos sequitur Castrop. *l. c. n. 12*. Secus tamen esse de voto peregrinationis, quod exequi possunt tempore, quo abesse possunt à suis Ecclesiis, consentiunt omnes. Similiter Parochi aliiq; habentes beneficium requirens residentiam, votum longinquæ peregrinationis emitte nequeunt, nisi sub conditione obtinendæ ab Episcopo licentiæ, esto minùs strictè obligentur ad residentiam quàm Episcopi, Castrop. *l. c. n. 13. in fine*. Votum verò ingrediendi religionem absolutè emitte possunt non tantum absque subintellecta conditione obtinendæ ad hoc licentiæ ab Episcopo, sed etiam sine conditione eam petendi, cum nullus in jure exstet textus obligans ad eam petendam, quin & clarus in contrarium sit textus. *c. dno 29. q. 2*. ubi liberè & nulla facta mentione licentiæ petendæ, conceditur quibuslibet clericis facultas transeundi ad religionem. ita probabilis docent Sanch. *l. c. n. 48*. Castrop. *l. c.* cum Host. Abb. Carden. & aliis citatis à Sanch. contra Anzor. *l. c. n. 3*. Sayr. *l. c. n. 25*. Grassis. *p. 2. decis. L. 2. c. 11. n. 24*, quatenus volunt votum hoc ab iis e-

mitti non posse nisi sub conditione petendi dictam licentiam.

Quæst. 889. num obligatio voti solum voventem astringat, & per alium impleri nequeat.

1. R. sp. Obligatio voti tam realis quam personalis astringere potest solum voventem, Sylv. *v. votum. 2. q. 3*. Sotus *de just. q. 2. a. 1. ad 5*. Suar. *L. 4. de voto c. 9. an. 2*. Sanch. *L. 4. de voto c. 15. n. 14*. Castrop. *tr. 15 d. 1. p. 14. n. 1*. cum communi & certa, ut ait, ex ea ratione, quod nullus præter illum intentionem se obligandi habere possit, nullasque actum alienum utpote suæ voluntati absolutè non subiectum promittere potest. quod quoque procedit in voto reali, ac proinde qui rem aliquam vovit suæ obligationi non satisfacit, dum ad rem à se promissam præstandam inducit alium, nisi ille eam ex bonis propriis voventis, aut ejus nomine, vel animo eum ab obligatione liberandi præstet, & vovens id ratum habeat, ratihabitione retrotractâ & mandato æqui paratâ. Laym. *tr. 4. c. 3. n. 8*. Sanch. *n. 7*. Wiestn. *h. t. n. 36*. Dum autem communitas aliqua voto v.g. jejnandi ab Episcopo acceptato se obstrinxit, successores voventium, qui illi voto non consenserunt, non obligantur in vi voti illius, sed in vi legis, non quidem à communitate, ut pote quæ in materia spiritali legem ferre nequit, sed ab Episcopo media illa acceptatione ne promulgatæ ut Suar. *l. c. n. 10. & 11*. Castrop. *l. c. n. 3*. Unde iam etiam deducitur primo, filios non astringi voto à parentibus, nomine eorum facto ut dum vovent v.g. Filios peregrinatos, ingressuros religionem &c. Arg. *c. licet de voto* non enim censentur facta propria Filiorum promittere, sed ad summum se curatos, ut Filii exequantur; quæ diligentia parentum etiam esse potest materia voti, neque Filii ad hanc executionem obligantur; nisi fortè ipsi consenserint, tunc enim obligabuntur non ex voto parentum, sed ex proprio; cum ille consensus & paterni voti approbatio sit tacitè voti emissio, qui tamen consensus non præsumitur ex sola taciturnitate & dissensu negativo Filii dum patet eo præsentè tale votum emitte deducitur. Secundo eum, qui votum suum ex quacunque causa etiam culpâ propriâ implere nequit, sive id personale sit, sive reale, non teneri alium substituere aut rogare, ut illud impleat, quia hanc obligationem per votum non suscepit, neque executio illius per alium est proprii voti satisfactio. Sic impotens redditus ad peregrinandum non tenetur per alium à se ad hoc rogatum vel conductum peregrinationem peragere, imò nec potest, quia ejus materia est actio & functio persona voventis propria. Item impotens redditus ad donandum calicem promissum, non tenetur ad petendum eleemosynam, unde is conficiatur, cum id dedecet ejus statum, & nunquam ad tam grave quid se intenderit obligare; sed nec ad rogandos amicos, ut calicem nomine suo donent. quamvis dum ita intendit vovens, votum reale implere possit, & debeat per alium. v.g. medio procuratore in eo sensu, ut executio, quæ consistit in exhibitione rei promissæ voventi extrinsecâ, fiat ab alio. Deducitur tertio satis fieri posse voto reali, & si illius fini non satisfiat. Dum v.g. vovit aliquas missas legendas per alium, dato in illum finem stipendio, in quo

casu satisfacit huic voto suo, etsi fini illius, qui erat lectio missarum, non satisfaciat, dum nimirum sacerdos accepto stipendio eas omiserit, quia votum illius non fuit, nec esse potuit de factis legendis cum affectu, sed procurando ealegi medio communiter usitato, quale est datio stipendii. ita Castrop. n. 6.

Quest. 890. An & qualiter obligatio voti transcat ad heredes defuncti.

Resp. Primò: vota merè personalia defuncti non tenentur heredes implere sed eorum obligatio cum persona voventis extinguitur, sequitur ex dictis *quest. precedente*. Potest nihilominus testator obligare heredem ad exequenda illa, quæ ipse voverat, non secus ac ad legata aliqua opera pia v.g. ad peregrinationem; non tamen heredem necessarium, utpote qui gravari nequit in iis, quæ hereditati connexa non sunt; sed voluntarium, & quidem obligatione iustitiæ non nisi, ubi testator sub ea conditione hereditatem concedat, ut votum v.g. peregrinationis nomine suo exequatur, & heredes hereditatem acceptet; cum enim liberum sit testatori eum heredem instituire, potuit id facere sub hac vel illa conditione. ita Sanch. *l.c.c. 15 n. 17*. Laym. *l.c.c. 3 n. 13*. *concl. 2*. Castrop. *l.c. p. 16, n. 1*. ubi verò testator absolute sine tali conditione concesserit hereditatem, præcepit tamen ei, illam peregrinationem nomine suo suscipiendam, tenebitur solum ad illam ex gratitudine, ut Castrop. *l.c. cum Suar. l. 4. de voto c. 11 n. 3*.

2. Resp. Secundò: obligatio votum reale exequendi transit ad heredem, siue is necessarius siue voluntarius; Nav. *in sum c. 12. n. 56*. Less. *L. 2. c. 40. dn. 10. n. 65*. Laym. *l.c.n. 12*. Suar. *cit. c. 11. n. 6*. Castrop. *l.c.n. 2*. Arg. *c. ex parte. de cens. lib. L. 2. ff. de pollicitat.* quia defunctus cum emisit votum, obligatus fuit de suis bonis illud exequi; adeòque, si de facto illud executus non fuit, heredes in bonis illius succedens, ejusque personam representans eam obligationem subit. sicut enim succedit in iuribus & actionibus illius, sic & in oneribus, obligationibus hereditati annexis succedere debet, tamen res nulla specialiter sit obligata, quæ tamen obligatio heredis, non est ex virtute religionis & voti; cum ipse non voverit; sed iustitiæ, ex qua adeundo hereditatem obligatur defuncto, ejus vota & obligationes exequi, sed neque potest testator heredem suum ab ista obligatione vota sua realia solvendi liberare, tamen enim in potestate sit heredem instituire, eò tamen instituto, & adita ab illo hereditate, sicut impedire nequit obligationem illius solvendi debita homini, sic etiam nequit eum liberare ab obligatione solvendi, quæ debita sunt Deo; quippe quæ utraque obligatio immediatè nascitur ex aditione hereditatis jure communi sic disponente, adeòque independentè à voluntate testatoris, ita Suar. *l.c.n. 13*. Sanch. *cit. c. 15. n. 28*, Bonac. *Tom. 2. d. 4. q. 2. p. 5. §. 2. n. 12*. Laym. *l.c. n. 12*. Castrop. *l.c. n. 3*. qui tamen cum Suar. id ipsum sic limitat: nisi fortè vovens restringeret votum suum ad vitam suam v.g. dicendo. voveo seu promitto me in vita mea adificaturum Ecclesiam, sin autem non fecero, nolo ad heredes obligationem transire, unde etiam addit; nisi ex verbis manifeste colligatur aliud, credendum esse votum non absolute, sed sub dicta conditione emissum esse.

3. Resp. Tertiò dum votum est mixtum ex reali & personali heredes defuncti tenentur præstare tantum, quod in eo reale est, si id à personali separari possit, & per se seu independentur ab alio promissum est. Nav. *l.c.n. 56*. Sylv. *v. votum. 2. q. 4. d. 13*. Sanch. *l.c.n. 30*. Pirh. *h. t. n. 12*. Wiefn. *n. 41*. sic v. g. si quis vovit militare contra hostes fidei & secum adducturum tres socios in subsidium belli, heredes illius non obligatur proficisci ad bellum, bene tamen ad mittendum tres promissos socios. secus, si promississet illos principali intentione pro comitatu suo secum ducturum; tunc enim, si defunctus non fuisset profectus ad bellum, neque heredes illius tenebitur ad tres milites mittendos. Ita Pirh. *l.c.* de cetero quod hic dictum de herede, etiam locum habet in monasterio, dum id factum heredes voventis ob mortem illius, secus tamen, si heredes factum ob professionem voventis in religione approbata, quippe per quam omnia vota tam realia quàm personalia juxta communiorum extinguntur; vota autem extincta à tempore aditæ hereditatis heredes non tenentur solvere. Qualiter etiam extingui vota, etiam si religiosus velit ea sua professione non extingui contra Bonac. *l.c. n. 7*. censeat Castrop. *n. 8*.

4. Resp. Quarto: quod spectat modum solvendi vota realia & mixta, secundum quod in iis reale est, tenentur ea primò persolvere ita, ut non excedantur vires hereditatis adeòque ex eo tantum, quod solutis debitis & necessariis funeris expensis super est Laym. *l.c.n. 13*. Bonac. *n. 6*. Sanch. *n. 36*. Castrop. *n. 4*. juxta *L. fin. §. 4. c. de jure deliberand.* cum de eo solo testator vovendo aut legando disponere possit. Proceditque id ipsum in conscientia, licet heredes non confecerit inventarium non obstante *civil. fin. §. 12*. obligante heredes non conficientes inventarium ad solvenda defuncti debita, etiam excedentia vires hereditatis; quia hæc dispositio fundatur in præsumptione fraudis, quæ non conficiens inventarium videtur res subtraxisse. Ac proinde hac fraude cessante, cessat obligatio legis, ut Bart. *in L. 1. c. de SS. Eccl. n. 45*. Felin. *in c. 1. si constet n. 44*. Sylv. *v. hereditatis 3. q. 3*. Sanch. *l.c. 37*. Castrop. *l.c. n. 4*. qui etiam addit; esto quod condemnetur heredes, adhuc eum obligatum non esse in conscientia; quia sententia, uti & lex fertur ob fraudem præsumptam. Secundò ita, ut heredi siue ascendenti siue descendenti salva maneat legitima, quippe quæ per debitum voluntarium & merè liberale, cujusmodi est, quod ex voto aut legato pio oritur. Gravari aut diminui à testatore non potest, tamen is tempore, quo vivit, hanc legitimam minuere possit votis, aliisque minutis Eleemosynis, cum, dum vivit, sit dominus illius legitimæ, cujus dominium cessat post ejus mortem. ita Covar. *in c. Si heredes de testam. n. 9*. Sanch. *l.c.n. 38*. Laym. *l.c.c. 3. q. 6. n. 13*. Bonac. *l.c.n. 5*. Castrop. *l.c. n. 5*. Tertiò vota realia solvi non debent ex bonis spectantibus ad coronam regni seu provinciam, quippe quæ sicut aliis donationibus merè liberalibus, ita etiam votis realibus gravari non possunt; sed ex aliis, puta patrimonialibus aut propriis, quæ Princeps defunctus reliquit, & de quibus is pro libitu suo disponere poterat. Pirh. *h. t. n. 14*. juxta *c. 6. h. t.* Quarto vota solvenda post debita iustitiæ. Laym. *l.c.* Bonac. *l.c.n. 16*. Castrop. *l.c. n. 10*. quia Deus non acceptat oblata cum præjudicio juris tertii quæsitæ. Et ante pia legata

legata AA. iidem, quia vota obstringunt defunctum, non autem legata. Quintò dum plura sunt defuncti vota & hæreditas non sufficit pro omnibus solvendis, obligatur hæres, Vota de meliore bono præferre, & in casu dubii illud, quod constat, prius emissum, quia hæres defuncti personam gerit, qui dicto ordine tenetur vota sua exequi. Sanch. cit. c. 15. n. 14. Bonac. l. c. n. 14. Castrop. n. 11. quod si autem non constiterit, quòd votum melius aut prius emissum, hæres tenetur non pro Rata dividere, ut Sanch. n. 41. Sed ut Bonac. l. c. n. 15. & Castrop. n. 12. probabilis sentire videntur, non secus ac testator habet electionem, cum etsi obligatio; quæ in testatione erat religionis, facta sit in hærede obligatio iustitiæ, non tamen quoad modum eam exequendi, immutata est. Si tamen vota acceptata sint ab iis, in quorum gratiam facta, electionem non habere locum, sed divisionem prorata, asserunt Bonac. & Sanch. Sexto dum plures sunt hæres, nullus eorum tenetur in solidum solvere vota defuncti, sed quilibet pro parte hæreditatis, in qua est hæres ut Arg. L. 85. ff. de V. O. Sanch. l. c. n. 42. quod tamen duplicem patilimitationem, ait Castrop. l. c. n. 13. primam, ut, si res promissa Deo sit apud unum hæredem, isteneatur in solidum, habeat tamen actionem adversus cohæredes, ut ipsi partem eorum hæreditati correspondentem solvant, ut Sanch. n. 44. juxta L. 2. ff. de V. O. Alteram, ut si alii hæres nolint solvere, quilibet eorum teneatur in solidum, quia debitis & legatis solvendis qualibet pars hæreditatis addicta est, & quilibet hæredum obligatus; adeoque uno nolente, alius obligatur supplere alterius malitiam; cum æquum non sit ob malitiam illius debita manere insoluta. Si tamen id fiat, non ex malitia unius, sed ex impotentia, Castrop. Credit, cohæredem obligatum non esse, nisi pro quantitate hæreditatis sibi debita. Porro si hæres vota realia hæreditate accepta monitus à iudice Ecclesiastico exequi omittat, potest ab hoc ad id compelli sub pena excommunicationis & privationis bonorum. Juxta c. 6. h. t. c. 18. de censib. Abb. in cit. c. 6. n. 3. Pirh. n. 13. & 14.

Quæst. 891. Num donatarius & legatarius teneantur vota donantis & legantis exequi.

1. Resp. Ad primam: non teneri ad hoc donatarium, etsi donans fiat impotens ad vota implenda. Sanch. l. c. n. 34. Bonac. l. c. n. 21. Suar. L. 4. de voto c. 16. n. 10. Castrop. n. 14. neque enim ad hæc tenetur ratione rei acceptæ; cum ea, etsi determinate Deo promissa, propria tamen donatarii facta sit ob Dominium à donante in eum translatum per traditionem, neque etiam ex illicita rei acceptatione; cum hæc ad summum sit contra religionem ob cooperationem ad peccatum donantis, non contra iustitiam, ac proinde ex illa nasci non possit obligatio satisfaciendi.

2. Resp. Ad secundam: contrarium videtur in legatario, nimirum, ut is teneatur accipiens rem legatam, non possit eam retinere, sed teneatur rem in specie promissam Deo sibi traditam, tradere Deo; cum nullum eam retinendi titulum habeat, quia nulla est promissio seu legatio (ex cuius tamen valore dominium legati acquirere debet legatarius) ut pote de materia contraria vo-

to, adeoque dere illicita, sic quoque si res legata Deo determinatè promissa non est, & vires hæreditatis non sufficiunt votis persolvendis, legatum nullum esse censet Castrop. n. 15. quia sic legans peccat, dum vult rem, ex qua satisfaciendum votis, donare legatario.

Quæst. 892. Obligatio voti quando & qualiter cesset.

1. Resp. Cessat primò cessante causa finali, ob quam editum; cum ea cessante, non subsistat promissio. quia in casum deficientis causæ principaliter moventis ad votandum, vovens se obligare non intendit. Abb. in c. 9. h. t. n. 14. Sanch. l. c. c. 2. n. n. 42. Suar. L. 4. de voto c. 18. n. 3. Azor. p. 1. L. 11. c. 15. q. 13. Castrop. l. c. p. 20. n. 1. Sic qui vovit peregrinationem ad impetrandam amico sanitatem, eo mortuo ante captam peregrinationem, non tenetur peregrinari, qui promisit eleemosynam in redemptionem Petri, eo ante datam eleemosynam aufugiente & captivitate, aut mortuo, non tenetur dare Eleemosynam. Secus est de causa mere impulsiva, quæ cessante non cessat obligatio voti. AA. iidem. Quod si sint duæ causæ finales, unâ deficiente, attendendum, num utraque copulative intenta, an divisive, quod ex natura rei promissa & ex modo promittendi colligendum. in primo casu cessabit obligatio, secus in secundo. Castrop. l. c. n. 2. Qualiter verò cesset obligatio deficiente conditione sub qua emissum, dictum est supra, ubi qualiter votum conditionatum obliget.

2. Secundo mutatione materiæ promissæ, quæ ex jure vel prudenti hominum iudicio diversa redditur, cessat obligatio voti; hac enim materia præstita, censeri non potest vovens præstitisse, quod promissum est Castrop. l. c. n. 3. citatis Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 4. Suar. l. c. c. 19. an. 4. Sanch. l. c. n. 20. & aliis juxta illud L. 140. §. 2. ff. de V. O. obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potest. Estque hæc mutatio materiæ duplex, alia perpetua, id est, durans pro omni tempore, quò votum impleri potest, in quo casu, si mutatio afficit totam materiam, votum, ejusque obligatio penitus extinguitur, si verò votum dividuum est, & mutatio in parte dividua & separata contingit, manet obligatio, quo ad illam partem, in qua non contigit mutatio. Altera temporalis pro tempore aliquo determinato, & tunc pro eo tempore solum suspenditur obligatio, manente illa ad aliud tempus, quo impedimentum cessat, & votum impleri potest. Sanch. l. c. n. 24. Suar. l. c. n. 5. Bonac. l. c. p. 7. §. 1. n. 6. Castrop. n. 6. Porro ut Idem n. 4. cum Suar. n. 8. & seq. & Sanch. l. c. n. 6. & 7. ea autem diversitas prudentum hominum æstimatione sufficiens est, quæ rem constituit in alio statu morali diverso vel ob difficultatem ex parte ipsi rei promissæ supervenientem, vel ob alias circumstantias ei denuò adherentes, ob quas redditur majoris boni impeditiva, vel omnino inutilis, vel etiam ob periculum vitæ vel honoris alterius gravis detrimenti supervenientis aut cognitum prius post votum emissum (nisi fortè ut Castrop. l. c. p. 20. n. 5. non obstante tali periculo voverit, dum congruum esset virtuti, se tali periculo offerre, cum tunc ad rem sic mutatam non est censendus vovens se intendisse obligare. Sic qui in juventute vovit religionem, si ad senium perveniat, quando voto

huic

huic exequendo amplius aptus non est ob virium defectum, non obligatur ad illud exequendum, ut Suar. *cit. cap. 19. num. 15.* Sanch. *cit. cap. 2. n. 50.* Castrop. *l. c.* secus est de difficultate verb. g. ad servandam castitatem nata ex propria voventis voluntate depravata ex ejus mala inclinatione & peccatorum multiplicatione. dum autem dubium est, num ita res promissa mutata, ut quid moraliter diversum censetur, judicandum pro obligatione voti; quia dubia excusatio certam obligationem tollere nequit. Cujus tamen contrarium est, seu cessat obligatio, si difficultas aliaque circumstantia supervenientes reddant honestatem materiae dubitiam, cum gratum esse non possit Deo exequi rem, de cujus honestate dubitatur. Sanch. *loc. cit. num. 34.*

3. Tertio cessat obligatio voti lapsu temporis ei finiendae praefixi à vovente verb. grat. dum quis vovit per annum abstinere à carnibus, elapso anno cessat hujus voti obligatio. Tempus namque executioni voti dupliciter praefigi potest. Primo animi finiendi obligationem; in quo casu, si non impleatur votum, tota ejus obligatio extinguitur. Secundo eo animo praefigi potest, ne ultra illud differatur. In quo casu, si votum non impleatur, manet obligatio illud exequendi etiam post illud tempus, non secus ac qui debet censum intra annum solvere, eumque interea non solvit, non exinde à solutione liberatur, sed adhuc post annum illum pergit obligari & urgeri ad eum solvendum, quia tempus in illo voto designatum fuit ad excitandam executionem, non ad finiendam illius obligationem. Ita docent cum communi. Valent. *l. c.* Azor. *l. c. quest. 13.* Sanch. *lib. 4. c. 14. num. 25.* Bonac. *d. 4. quest. 2. p. 5. §. 1. num. 5.* Castrop. *l. c. p. 14. n. 1.* Porro dum vovens certus non est de intentione sua, num priori modo eam temporis affixerit, id eum fe-

cisse colligitur inter caetera ex circumstantia temporis, dum ea continet specialem devotionem, ex qua vel ob quam principaliter votum emissum verb. g. dum quis vovit jejunare feria sexta principaliter ob memoriam passionis Christi, & eo die non jejunavit, cessat obligatio jejunandi alio die; quia et si illo die jejunium adhuc implere posset, non tamen tale, quale promisit. Ita Sanch. *l. c. num. 28.* Suar. *lib. 4. c. 13. num. 5.* Bonac. *l. c. a. n. 6.* Castrop. *l. c. num. 2.* Sic quoque si vovens jejunare feriis sextis hoc mense, id semel iterumve omisit, non teneri etiam feria aliqua sexta alterius mensis jejunare censet Castrop. num. 3. non esse improbabile, quia esto ex illo jejunio sequatur idem cultus passionis dominicae, non tamen idem in individuo cultus, qui promissus est. Sic etiam eum, qui votum non alligavit certo temporis ob devotionem specialem, sed ob propriam utilitatem v. g. confiteri octavo quoque die, idque omisit, non teneri confiteri alio tempore, censent Suar. *l. c. n. 6.* Bonac. *l. c. n. 8.* quod Castrop. *n. 4.* verissimum credit in votis perpetuis, non tamen ita in votis non perpetuis, de caetero habere locum hanc doctrinam de cessatione obligationis etiam in votis realibus v. g. dum quis vovit dare Eleemosynam singulis feriis sextis ob memoriam passionis, censent Suar. *l. c. n. 9.* Bonac. *n. 11.* Castrop. *n. 5.* Qualiter verò cesset obligatio voti, ejusdem commutatione irritatione, dispensatione, dicitur *cap. seq.* Illud hic notandum in omnibus illis casibus in quibus quis impotens redditus ad executionem voti, sive cum, sive sine sua culpa, non obligari illum ad compensationem aliquam; quia ex nulla lege, neque divina, neque Ecclesiastica, neque ex ipso voto talis obligatio oritur; cum vovens solum ad rei promissae executionem se intenderit obligare. Bonac. *l. c. p. 5. §. 3. in fine.* Suar. *cit. l. 4. c. 15. n. 7.* Castrop. *l. c. p. 14. in fine* cum D. Tho. *2. 2. q. 8. a. 3.*

CAP. II.

De voti redemptione seu commutatione, irritatione, dispensatione.

Quest. 893. Redemptio voti quid sit & quoruplex.

Resp. Redemptio voti aliquanto strictius accepta tunc fieri dicitur, quando obligatio voti personalis cum opere aliquo reali, v. g. peregrinatio cum datione eleemosynae commutatur, ut Lesl. *l. 2. c. 40. dub. 11.* Sanch. *l. 4. mor. c. 24. n. 1.* Arg. *c. 1. h. t.* aliquanto latius accepta est liberatio à voto nondum soluto. Quae ferè fit modis sequentibus: commutatione, irritatione dispensatione, deficientia aut commutatione materiae, conditione, dum votum est conditionale, vel tempore. De tribus posterioribus jam actum in precedentibus, de tribus reliquis agetur in praesente.

Quest. 894. Quid sit commutatio voti, quae vota & qualiter commutari possint.

1. Resp. Ad primum: commutatio voti est translatio obligationis à materia voti prius facti ad materiam aliam priori surrogandam. Prout sumitur ex *c. 1. 4. & alius h. t.*

2. Resp. Ad secundum: potest fieri haec commutatio in melius, aequale, vel minus bonum. Et quidem omnia vota commutari possunt in evidenter melius ut habet communis. Et sic in specie omnia

R. P. Leu. fur. Can. Lib. III.

vota commutari possunt in vota religionis per professionem in religione tanquam obsequium Deo gratius, in quo omnia alia obsequia particularia Deo promissa ac debita meliore & eminentiore quadam ratione continentur. D. Tho. *2. 2. q. 88. a. 17. ad 1.* Sanch. *l. 5. mor. c. 5. n. 38.* juxta *c. 4. h. t.* Extenditurque hoc ipsum ad vota, etiam non tantum personalia, sed & realia quatenus sunt promissiones & obligationes erga Deum. Sic votum peregrinationis in terram sanctam commutatur seu tollitur per professionem non tantum quò ad laborem perfectionis, sed etiam quò ad subsidium conferendum terrae sanctae. Pirh. *h. t. n. 28.* Barbof. *l. c.* citatis aliis, contra Angel. Syl. Naldum tenentes non posse commutari per professionem, quò ad id, quod profitens vovet dare directè in subsidium terrae sanctae. Item ad vota perpetua. Item vota emissa in novitatu. Item ad vota reservata Pontifici ut AA. citati. Et quidem ipso jure absque alia intentione illa commutandi, seu absque eo, quòd vovens quicquam de ea commutatione cogitaverit ut Pirh. *n. 28.* & Barbof. *inc. 4. h. t. n. 2.* citatis plurimis aliis. Cum Sanch. *cit. c. 5. n. 39.* Non tamen extenditur ad vota specialiter reservata Pontifici, quae commutari nequeunt in evidenter melius excepta professione selemni, juxta dicta,

Q o o o

dicta,

dīcta, aut etiam in aliud reservatum, saltem sine auctoritate pontificis. V. g. votum peregrinationis Romanae in votum castitatis; cum eo ipso, quod reservata sint arbitrio superioris, non sint relicta arbitrio voventis. Pirh. *h. t. n. 26.* cum Tamb. *l. 3. in decreto 9. c. 16. §. 5. n. 14.* Item excipiuntur vota realia emissa in favorem seu commodum Ecclesiae vel alterius communitatis, aut etiam hominis privati, acceptata ab iis; quia haec nequidem commutari possunt seu extingui per professionem religiosam; cum per illa acceptata jam jus quasitum sit tertio, cui non semper gratius, quod melius est, neque DEO gratum obsequium promissum cum derogatione juris alterius seu injuria erga alterum, secus tamen si votum ab illo tertio non acceptatum. Sanch. *cit. c. 5. num. 43.* Pirh. *n. 26. juncto n. 28.* an verò licitum sit post commutationem voti etiam factam in melius commutare in æquale, dubitatur. Affirmat Dian. *loco mox citando. resol. 8.* apud Barbof. *l. c.* Sic etiam exceptis jam votis, omnia vota commutari possunt in evidentem æquale seu æquè bonum, saltem interveniente auctoritate superioris. Sanch. *l. 4. mor. c. 49. num. 12.* Suar. *l. 4. de voto. c. 19. n. 3.* Dian. *resol. mor. p. 1. tract. miscell. resol. 9.* Barbof. *l. c. n. 3.* Pirh. *num. 25.* quin & in bonum notabiliter minus, non tamen tunc interveniente nuda commutatione, sed etiam dispensatione. Tamb. *l. c. num. 8.* Pirh. *num. 25. in fine.* De cetero in votorum commutatione non esse opus servare unitatem aut similitudinem, sed posse votum reale in personale & personale in reale commutari, tradunt Suar. *de relig. Tom. 2. tr. de voto l. 6. c. 19. num. 16.* Sanch. *in decal. Tom. 1. l. 4. c. 56. num. 14.* quos sequitur Barbof. *in c. 2. h. t. n. 5.* quamvis idem in *c. 7. h. t. n. 13.* Consilii esse dicat, ut personale in personale, reale in reale commutetur, & ita tenent Suar. & Sanch. *loco mox citand. eo quod vel sic magis accedatur materiae prioris voti: quin & votum perpetuum in temporale, cum temporali obsequio nobiliori obsequium perpetuum compensari possit, ut cum Suar. & Sanch. Castrop. l. c. p. 15. n. 4.* In commutando tamen voto peregrinationis Jerosolymitanae habendam rationem expensarum faciendarum in eundo, ibi commorando, & redeundo monent Sayr. in *clav. reg. l. 6. cap. 12. n. 10.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 18. q. 13.* Suar. *l. c. c. 19. in fine.* Sanch. *l. c. c. 59. à n. 11.* Barbof. *in c. 7. h. t. num. 9.* Quamvis autem hoc votum, maxime si in subsidium terrae sanctae factum, soliti olim fuerint Pontifices commutare in eleemosynam illuc mittendam ob urgentem necessitatem succurrendi illis temporibus expeditioni bellicae; hodie tamen, cum expeditio illa cessaverit, illa commutatio non est necessaria, sed instar aliarum commutatio fieri potest. Suar. *l. c.* Sanch. *l. c. n. 26.* Barbof. *l. c. n. 12.*

Quaest. 894. A quibus & quibus de causis fieri possit votorum commutatio?

1. Resp. Ad primum, primò votum in evidentem melius qui libet auctoritate propria commutare potest, nisi aliqua lege vel præcepto prohibeatur, aut jus quasitum tertio per prius votum sit. Covar. *de pactis p. 1. §. 5. n. 3.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 7. vers. hac ipsa.* Suar. *l. c. c. 18. à n. 4.* Sanch. *c. c. 49. n. 4.* Laym. *l. c. c. 8. n. 19.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 18. q. 1.* Castrop. *tr. 15. d. 2. p. 15. n. 2.* Barbof. *in c. 1. h. t. n. 4.* citatis insuper plurimis aliis, ex ea ratione, quòd, si res in quam transfertur obligatio voti prioris consideratis omnibus sit melior, sit

etiam eo ipso Deo gratior, adeoque commutans rem meliorem abundantius satisfaciat obligationi suae, quod potest absque interveniente auctoritate superioris. Adhuc cum votum impedire nequeat majus, nequeat etiam impedire subrogationem perfectioris materiae, dixi tamen primò: *in evidenter melius:* nam dum incertum seu dubium est, num commutatio fiat in melius, necessaria est auctoritas praelati. Sanch. *l. 4. c. 49. n. 7.* Reginald. in *pr. for. poenitent. c. 18. n. 348.* Barbof. *in c. 1. h. t. in fine.* Nisi lege aliqua prohibeatur, ut contingit in votis reservatis Pontifici, quae issemel facta prohibet alterius arbitrio etiam in melius commutari, excepta professione religiosa. Dixi etiam: *nisi jus quasitum alteri,* dum nimirum in vovendo directè quoque spectatus favor illius, isque eum acceptavit; tunc enim ad commutationem validam requiritur consensus illius Castrop. *cit. p. 15. n. 2.*

2. Resp. Ad primum secundò: commutatio voti in evidentem æquale juxta probabiliorum & communiorum eget auctoritate praelati. Ita ut sine illa facta sit nulla. Suar. *l. c. c. 19. n. 3.* Sanch. *cit. c. 49. n. 12.* Reginald. *l. c. n. 349.* Filliuc. *Tom. 2. tr. 26. c. 10. n. 28.* Castrop. *l. c. p. 17. n. 2.* Barbof. *in c. 4. h. t. n. 3.* citatis aliis. Pirh. *h. t. n. 25.* contra Bonac. *de LL. d. 4. q. 2. p. 7. §. 3. n. 8.* Dion. *resol. mor. p. 2. tr. 2. miscel. resol. 9.* Tamb. *l. 3. in decal. c. 16. §. 5. n. 14.* ex ea ratione. Quia nemo se eximere potest auctoritate propria ab obligatione voti, nisi subrogando melius seu majorem compensationem; & commutatio in rem æqualem non secus ac dispensatio est actus jurisdictionis, adeoque nulli competit, nisi praelato habenti jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Non tamen æqualitas ita rigide & scrupulosè spectanda, ut certò de illa constare debeat praelato; cum difficillimum sit invenire æqualitatem mathematicam, sufficit proinde æqualitas moralis, qualis reputatur, quoties excessus manifestè non apparet. Unde etiam commutationem fieri posse in paulo minus; cum, quod parum distat ab æqualitate nihil distare videatur, & moraliter adhuc æquale sit. Docent Suar. *l. c. n. 9.* Laym. *l. c. c. 8. n. 24.* Azor. *l. c. c. 8. q. 6.* Sanch. *l. c. c. 50. n. 7.* Castrop. *l. c. n. 3.* quam etiam æqualitatem moralem inter tres quoque diversas rei prudens, spectata qualitate tum voventis, tum rei promissae & finis, ob quem factum votum, facile inveniet cujus proinde arbitrio hæc commutatio relinquenda ut Laym. *n. 25.* Suar. *n. 21.* Lesf. *cit. c. 40. n. 109.* Castrop. *n. 4.* Sanch. *n. 6.*

3. Resp. Ad primum tertio: multò minus ob rationes præced. resp. datas votum sine auctoritate superioris commutari potest in opus notabiliter minus bonum: quia tunc non est nuda commutatio, sed etiam intervenit dispensatio. Pirh. *h. t. num. 25.* cum Tamb. *l. c. n. 8.* & communi. Unde etiam pollens tantum facultate commutandi vota commutare non potest ea in minus bonum, sed tantum in æquale, factaque ab eo talis commutatio est nulla, nec liberat voventem ab obligatione prioris voti. Suar. *cit. c. 19. n. 14.* Nav. *l. 3. consilior. lit. de voto. conf. 19. in 2. edit.* Azor. *l. c. c. 18. q. 13.* & alii quos citat & sequitur Castrop. *cit. p. 17. n. 2.* ex ea ratione quòd ab obligatione voti praelatus nullus aliquid liberare possit, nisi quatenus vice Dei fungitur; utentes autem tantum facultate commutandi funguntur tantum vice Dei ad liberandum voventem à voti obligatione, subrogatà materia æquali. Estque hæc potestas commutandi in minus potestatis dispensativa.

4. Resp. Ad primum quartò: in genere vota

commutare potest Episcopus aliusve Prælati in voventem obtinens jurisdictionem quasi Episcopalem. Et quandoque ex privilegio Confessarius v.g. tempore Jubilæi, reservata tamen non nisi Papa. Et in genero omnes qui potestatem in iis dispensandi, sive ordinariam, sive delegatam habent. Castrop. *tr. 15. d. 2. p. 14. n. 4.* Lesf. *l. c. n. 108.* Laym. *cit. c. 8. n. 20.* Pont. *de mat. l. 8. c. 10. n. 3.* Sanch. *cit. l. 12. n. 9.* juxta *reg. 53. in 6. cui plus licet, utiqueliceret, quod minus est.* Quale quid est commutatio præ dispensatione; cum per eam voti obligatio non omnino tollatur, sed sub onere alterius materiæ subroganda. Quamvis, ut Castrop. *l. c. p. 16. n. 2.* citatis Cajet. *2. 2. q. 28. a. 12.* Covar. *de pactis p. 1. §. 3. n. 4.* Suar. *l. 6. c. 18. n. 7. & 8.* Laym. *l. c. n. 24.* spectata vocis proprietate & communi acceptione commentatio ad solam æqualem subrogationem non ad minorem extendatur.

2. Resp. Ad secundum: primò ad commutationem voti in evidenter melius, ubi ea non prohibetur, alia causa non requiritur, quam quod id sit DEO gratius. Secundò commutatio in rem æqualem à Prælato scienter absque omni causa facta est nulla; nemini enim concessa est potestas vota remittendi, sive per commutationem, sive per dispensationem, quia talis concessio foret irrationabilis. Barbof. *inc. 1. h. t. n. 4.* citatis aliis plurimis. Castrop. *l. c. p. 17. num. 4.* cum Suar. *l. c. cap. 20. num. 7.* Secus tamen est, ut iidem, si Prælati bona fide procederent, credens adesse causam, quia ipsa bona fides prælati est pro causa, & ne deus censeatur rigorosus exactor, quin etiam ubi prælati commutat votum in rem certè æqualem, iudicans probabiliter, vel etiam dubitans esse meliorem, nullam desiderari causam, tradit Sanch. *in Decal. l. 4. c. 49. n. 16.* apud Barbof. *l. c.* causæ verò ad hanc commutationem sufficientes sunt, quod votum editum ab impubere, quod rei executio jam minus expedita. Quod opus subrogatum cum majore fructu & consolatione peragendum speretur, quin & quævis causa rationalis, etiam major propensio voventis. Reiffenst. *h. t. n. 47.* Tertio multò magis multòque major causa requiritur ad commutationem in opus bonum notabiliter minus, qualis est gravis difficultas voventis in exequendo, ejusque fragilitas, aut periculum agendi contra votum, anxietas & scrupulositas ex voto priore proveniens, & universaliter omnes causæ sufficientes ad dispensandum; quippe ad quod requiruntur causæ graviore, quam ad commutandum; cum dispensatio sit totalis, commutatio verò particularis tantum extinctio obligationis. Reiffenst. *l. c.*

Quest. 895. Irritatio votorum quid sit, & quotuplex,

1. Resp. Ad primum: irritatio voti est obligationis ejusdem ablatio, facta per illum, qui potestatem in voventem, vel in materiam voti habet, pro cuius definitionis declaratione supponendum, dupliciter voventem in vovento dependere posse à voluntate alterius. Primò si voluntas voventis taliter subiecta sit alteri, ut nunquam censeatur se velle obligari, nisi sub tacita conditione, si alter consenserit, vel non repugnaverit. Quod contingere potest, vel ex natura & conditione intrinseca personæ voventis, quia ea integre alteri subiecta est, ut filius impubes patri, religiosus prælato, vel quia vovens citra talem subjectionem liberè hic

& nunc ita se subiecit alterius consensui & voluntati, ut nolit obligari, nisi quatenus alteri placitum est. Secundò dependere potest ab alterius voluntate quò ad materiam promissam; vel quia alter materiæ illius dominium aut administrationem habet, vel quia absque eo illam prohibere potest. Ita Castrop. *l. c. d. 2. pag. 1. num. 1.* juxta quæ

2. Resp. Ad secundum: Irritatio duplex est, una directæ & propriè talis. Quæ ex subiectione, quæ vovens subiecit alteri fit; & hæc respicit actum voventi, illumque de medio tollit, seu votum extinguit, absque eo, quòd reviviscat: estque irritatio ex hac subiectione personali proveniens actus non jurisdictionis, sed domini, quatenus superior ratione potestatis dominativæ habet jus, ne subditus obligetur aliter, quam pro suo consensu & voluntate. Altera indirectæ & impropiè talis, quæ materiæ promissam respicit impediendo ejus executionem, quæ potius suspensio quam irritatio vocatur, utpote quæ per se non extinguit votum, sed obligationem illius suspendit, dum impedimentum durat; quo tempore cessat illius obligatio; quia cessat optitudo illud exequendi, sed hoc per accidens. Estque hæc irritatio proveniens ex subtractione materiæ aliquando actus jurisdictionis, tum spiritualis, dum Pontifex vel Episcopus materiam promissam prohibet, vel aliquid cum illius executione incompatible præcipit; Tum temporalis, dum Magistratus secularis simile quid præcipit. Quandoque est actus domini, tum propriè, tum impropiè talis, quando herus ob jus, quod habet famulo imperandi, vel habens potestatem dominativam talem materiam non vult subijci voto, vel ex potestate dominativa præcipit aliquid incompatible cum executione. Castrop. *l. c. num. 2. & 3.* Porrò in eo, num potestas hæc irritandi vota ex jure naturali, an ex jure positivo pontificio ortum habeat in hoc non ita consentiunt AA. prius docent Sotus *l. 7. de justit. quest. 3. a. 1.* Azor. *l. c. cap. 17. quest. 3.* Suar. *Tom. 2. de relig. l. 6. de voto c. 6. num. 2. & 3.* Sayr. *in cla. reg. l. 6. cap. 10. n. 7.* & alii apud Castrop. *num. 4.* eò quòd filius patri, servus domino, religiosus prælato naturaliter subijciuntur, in qua subiectione fundatur potestas irritandi vota. Posterius nihilominus tenet Castrop. *l. c.* & quidem de potestate irritandi indirectæ, utpote quæ ex jurisdictione jure positivo concessa, vel ex dominio jure gentium introducto, id manifestum ait. De potestate quoque irritandi directæ id probat discurrendo per singulas personas, quibus ea competit. quem vide.

Quest. 896. Ad quæ vota extendat vel non extendat se potestas irritandi,

1. Resp. Primò extendit se ad sequentia, de quibus magis dubitari poterat. Primò ad vota interna non manifestata. Nihil enim obstat, quò minus ea facta superiori displiceant, isque dicere possit subdito suo religioso: si hoc vel illud votum fecisti, nolo te esse obligatum, seu irritò illud. Et licet is circa actus internos sibi incognitos jurisdictionem præceptivam & punitivam exercere nequeat, nil tamen vetat, quin jurisdictionem deobligatoriam circa illos exercent; cum aliud sit onus imponere, aliud ab eo liberare, ad quod posterius nulla in specie requiritur cognitio: Ita Vasq. *1. 2. d. 160. c. 4. n. 17.* Suar. *l. c. c. 17. n. 8.* Sanch. *l. 4. c. 24. n. 40.* Castrop. *l. c. p. 3. §. 1. n. 1.*

00002

Secun-

Secundò ad vota futura, dum gaudens potestate dominativa potest nolle, ut vota emittenda à subdito ei prius non communicata valeant, contra quam ejus nolitionem ea emissa sunt nulla. Sanch. *l.c. n. 49.* Suar. *l. 3. de voto. c. 3. n. 15. infine* Laym. *l.c. n. 7.* Castrop. *l.c. n. 2.*

Tertiò ad vota emissa cum licentia superioris inferioris, dum ea etiam addita ab eo promissione ea non evocandi irritare potest superior major Suar. *l. c. n. 8.* Laym. *l. c. c. 8.* Sanch. *l. c. n. 27.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* Idem est de Superiore eodem, qui licentiam dedit, etiam cum promissione eam non revocandi, alioque superiore æquali qui licentiam non dederit. Per datam enim licentiam non eximitur ab ejus subjectione, etsi is peccet contra fidelitatem revocando licentiam, alter etiam æqualis superior eadem in irritando pollet facultate. Cajet. *2. 2. quest. 8. a. 8. du. 2.* Azor. *l. c. c. 17. quest. 6.* Sanch. in *Decal. l. 4. c. 27. à n. 9.* Castrop. *l. c. à n. 4.* qui descendendo ad singulos superiores eosdem & æquales, probat eos posse irritare vota suorum subditorum aut quasi talium habentium licentiam ab eodem vel æquali superiore. Secus tamen est de superiore inferiore, qui votum subditi habentis licentiam à superiore altiore irritare non potest. ut habet communis.

Quartò juxta probabilem extendit ad vota emissa tempore subjectionis, implenda tamen non nisi subjectione dissoluta; eò quòd licet voluntas voventis & materia promissa pro tempore, quo votum obligat, non sint obnoxia subjectioni, erant tamen ei obnoxia pro tempore, quo contrahebatur obligatio, adeòque cum ea contracta inconsulto Superiore, in cujus gravamen & irreverentiam ea cedit, poterit ab illo irritari in tempus quo vovens erit liber, quòd ipsum tamen cum Sanch. *l. 4. Sum. c. 29.* distinguit Castrop. *Tract. 15. d. 2. p. 3. §. 4. n. 1.* ut procedat dum vovens est plene subditus, quòd ad voluntatem, secus, si tantum quòd ad materiam promissam, hujus enim vota relicta in tempus libertatis irritare nequit, utpote ei non præjudicantia.

2. Resp. Secundò: è contra ad vota emissa tempore subjectionis irritanda tempore illo elapso, dum nimirum voventes exempti & subtracti jam sunt potestati & subjectioni prælatorum aliorumve, sub quorum potestate prius erant, se non extendit amplius eorum potestas, utpote, integrè & absolute per talem exemptionem & subtractionem extincta. Sanch. *cit. l. 4. c. 30. n. 7. & 8.* Laym. *l. c. c. 7. n. 14.* Castrop. *l. c. §. 3. n. 2.* Unde jam deducuntur sequentia, primò quòd Prælatus regularis irritare nequeat vota religiosi assumpti in Episcopum, Sanch. *l. c. n. 21.* Laym. *l. c.* Castrop. *n. 3.* contra Sa. *v. voti irration. §.* eo verò deposito Episcopatu redeunte ad religionem, vota ab ipso facta ante Episcopatum, quin & facta in Episcopatu irritare possunt prælati regulares, quia denuo eis subiectus. Sanch. *n. 22.* Castrop. *l. c.* Idem est de justè transeunte ad aliam religionem; hujus enim vota in priore religione emissa prælati illius irritare nequeunt, ne quidem pro tempore, quo est in novitiatu alterius religionis, utpote quo durante priorum superiorum jurisdictio in eum est suspensa. Sanch. *n. 28.* Castrop. *l. c.* Idem de eo, qui in perpetuum justè ejectus à religione, utpote hac sententià regimini regularium prælatorum subtractus. Secus tamen de ejecto pro certo tempore ad tiores, utpote manente subiecto dictis prælatis, Sanch. *à n. 25.* Secundò quòd parentes irritare nequeant vota realia filiorum puberum, postquam hi effecti sui juris: ne-

que vota personalia filiorum impuberum post pubertatem confirmata, utpote ratione confirmationis subducta jurisdictioni parentum, non secus, ac si tempore pubertatis de novo emissa. Sanch. *l. c. n. 12.* Suar. *l. 6. de voto. c. 6. n. 11.* Castrop. *n. 4.* Secus est de votis impuberum non confirmatis post pubertatem vel emancipationem, ut contra Sotum, Rosell. Aragon. & alios. Quorum sententiam probabilem censet Sanch. *l. c. n. 4.* docent Idem Sanch. *n. 9.* citatis Cajet. *2. 2. quest. 89. a. 5.* Suar. *l. c. c. 6. num. 8.* Azor. *l. c. cap. 17. quest. 7.* Bonac. *d. 4. quest. 2. de votop. 7. §. 2. n. 19.* Valent. *2. 2. d. 6. quest. 6. p. 6. q. ult.* & aliis, ex e ratione, quòd occasio concedendi parentibus potestatem irritandi vota impuberum fuit, ut illis quòd ad obligationem contractam in ætate illa debili & infirma, cui infirmitati satis provisum non esset, si post pubertatem remanerent alitrici obligatione contracta in ætate illa infirma, dum parentes non possent pro tunc illa eorum vota irritare. Tertiò pari ratione sequitur, quòd curator irritare nequeat vota personalia emissa à minore in ætate puerili, confirmata ab illo post pubertatem. Secus tamen, si ea tunc confirmata non sint, ut probabilis contra alios censet Castrop. *l. c. n. 6.* cum Sanch. *n. 15.* Laym. *l. c. c. 17. n. 11.* Lesf. *l. c. d. 14. n. 83. in 2. edit.* eò quòd curator patri succedat in gubernatione filii & potestate, quæ patri convenire debebat eo tempore, si vixisset. Huic autem secundum dicta compete- bat pro illo semper irritare vota taliter emissa postea non confirmata. Et licet curator directè solum gaudeat potestate curandi res minoris, indirectè tamen etiam gaudet potestate curandi personam illius, ratione cujus indirectè potestatis potest irritare dicta ejus vota. Castrop. *l. c. idem n. 7.* dicens de matre, si curatrix est; secus, si illud officium non exerceat; cum matri, qua mater est, nulla filii puberis conceditur gubernatio, neque quòd ad ejus personam, neque quòd ad bona. Sanch. *l. c. n. 17.* plura de potestate parentum irritandi vota filiorum vide *quest. post hanc 3.* Quartò maritum non posse tempore divortii irritare vota emissa ab uxore ante divortium, etiam tunc non confirmata quia uxor pro tempore divortii eximitur à subjectione mariti. Poterit tamen is ea irritare divortio cessante, ut pote pro tunc per reconciliationem redeunte ad pristinum statum. Uti etiam tunc irritare potest vota emissa ab uxore tempore divortii vel ante illud, sed post illud confirmata. Sanch. *l. c. n. 18.* Castrop. *num. 8.* Quintò dominum non posse vota servi emissa tempore servitutis, nec tunc à domino irritata irritare post concessam ei libertatem. Quia pro tunc non est amplius dominus sed persona particularis. Neque servus tempore servitutis vovet sub hac conditione: si placuerit domino quatenus Petrus est, sed quatenus dominus est. Lesf. *l. c. num. 86.* Sanch. *num. 32.* Suar. *l. c. cap. 6. num. 11.* Castrop. *num. 9.* contra Valent. Porro vota tempore subjectionis emissa cessante subjectione confirmari non censentur per approbationem parentum utpote quæ neque supplet imbecillitatem iudicii impuberis voventis, nec privat parentem potestate gubernativa filii. Neque confirmari censentur ex eo quòd vovens voluerit ea exequi cum ea voluntas non immutet obligationem ante contractam, quamvis illi etsi infirmæ annexa est Azor. Valent. Lesf. *LL. cit. Suar. l. c. num. 12. & 13.* Castrop. *num. 10.* Sed confirmari censentur, quando vovens conscius infirmitatis priorum votorum, vult se obligare firmiter & irre-

irrevocabiler, & ac si se illis nunquam obligasset, quæ talis voluntas æquivalet novæ emissioni votorum vel etiam confirmantur per hoc, si vovens immemor priorum votorum ea denuo emitteret; utpote quæ emissio à priore est omnino independentis, Less. Suar. Sanch. Castrop. *ll. cit.*

3. Resp. tertio: non extenditur potestas irritatoria ad vota mandata jam executioni, ut patet; cum enim votum mandatum executioni hoc ipso cesset, non est capax irritationis. Et si votum executioni mandatum est reale, non potest superior rem traditam revocare, utpote quæ per traditionem redacta jam est sub dominio alterius. Sed neque se extendit ad vota translata in heredem voventis, tum quia superior voventis non est superior hæredis; tum quia hæres non obligatur ex voto, sed ex justitia, ex contractu tacito; obligationes autem ex justitia irritabiles non sunt, Sanch. *l. c. c. 24. n. 57.* Castrop. *l. c. §. 6. n. 3.* Neque ad vota emissã tempore quo vovens erat sui juris extendi potest potestas irritativa directã. Quia illa solum vota vi illius potestatis quæ sub ejus beneplacito fuerunt emissã; vota autem superiorem non habentis sub nullius beneplacito emittuntur. Indirectè tamen irritari possunt, quatenus superveniente potestate dominativa, vi illius impediti potest eorum executio in quantum ei præjudicat. Castrop. *l. c. §. 4. n. 1.* Atque ita vota uxoris tempore libertatis emissã suspendi & sic indirectè irritari possunt à superveniente ei marito, quatenus ei præjudicant, non aliter. Azor. *l. c. c. 17. q. 14.* Valent. *l. c. Sayr. l. c. l. 6. c. 10. n. 11.* Castrop. *l. c. n. 3.* Neque extendit se ad vota conditionalia emissã tempore libertatis, quorum conditio tempore subjectionis implenda, si conditionis appositio non sit libera voventi, vel quia ex voluntate alterius dependet, vel casu contingit, eò quòd tunc tota illius voti obligatio ante subjectionem contracta sit, Secus, si conditio ex libera voventis voluntate dependet, eò quòd tunc reputandum sit votum illud factum tempore subjectionis. Ita Castrop. *l. c. p. §. n. 4.* quem vide.

Quæst. 879. Qualis irritatio fieri possit.

Resp. primò sit irritatio dum superior cognitò voto subdito absolute sine ulla temporis limitatione negat licentiam illud exequendi. Sanch. *l. c. c. 25. n. 32.* Less. *l. c. n. 72.* Castrop. *l. c. p. 4. n. 1.* Siquidem omnia subditorum vota, si sint de rebus fieri prohibitis sine licentia, necessario habent hanc conditionem: Si superior licentiam dederit: si sint de rebus aliàs licitis, hanc conditionem imbibunt; nisi superior contradixerit, adeoque hac conditione deficiente, sive superiore negante licentiam vel contradicente votum absolute cessat. Ut cum D. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 4. Sanch. *l. c. c. 26. à n. 4.* Suar. *l. 6. de voto c. 1. n. 9.* Castrop. *l. c.* dicitur autem: *cognitò voto:* Si enim ignarus voti, seu materiam promissam esse sub voto, neget licentiam ad illud exequendum, censeri non debet illud irritasse; cum irritatio sit actus voluntarius, qualis esse non potest incognito objecto. Sanch. *l. c. n. 23.* Less. *l. c.* Valent. *l. c. g. 2.* Suar. *l. c. c. 7. n. 13. & 14.* Castrop. *n. 2.* Dicitur quoque: *negat absolute:* Si enim neget pro determinato tempore dicendo, nolo ut facias modò, non est irritatio, sed suspensio pro illo tempore, quo elapsò tenebitur vovens exequi votum, nisi forte votum fuerit de re illi tempore annexum v. g. de jejunando proxima vigilia Corporis Christi. Quia tunc vo-

tum non tam irritatione extingueretur, quam cessatione materia.

2. Resp. secundo: ut irritatio procedens à potestate dominativa fiat validè, non exigitur causa, quia, ut dictum, solum deficiente consensu vel posita contradictione cessat obligatio. Secus est, si irritatio procedat ratione jurisdictionis; quia hæc irritatio fit medio præcepto seu lege imposta, pugnantem cum executione voti, lex autem seu præceptum imponi nequit sine jurisdictione. D. Th. *l. c. a. 12. ad 2.* Sanch. *l. c. c. 24. n. 7.* Suar. *l. c. l. 6. c. 1. n. 9.* Castrop. *l. c. n. 4.* posse quoque irritationem fieri juste seu licite sine causa, docent Azor. *l. c. q. 5.* Sylv. *v. votum. 4. q. 6. d. 6.* Pont. *L. 10. de mat. c. 17. n. 14.* eò quòd superior quòdam negandum suum consensum vel contradicendum; in qua negatione vel contradictione consistit irritatio, nullo vinculo astringatur, sed sit omnino liber & utatur suo jure. Verum rectius sentire videntur Sotus, de *just. L. 7. q. 3. a. 1.* Less. *cit. a. 40. n. 70.* Sanch. *l. 4. c. 24. n. 13.* Laym. *l. c. c. 7. n. 13.* Castrop. *l. c. n. 5.* Valent. Suar. superiorem peccaturum saltem venialiter si absque justa causa votum irriter; eò quòd sic exercendo potestatem suam irritativam, abutatur ea contra finem illius, dum ea concessa vel in utilitatem voventis, ut est data Prælati religiosi, vel in utilitatem ipsius irritantis, ut est dominorum, vel in utilitatem utriusque, ut est conjugum: ad hæc videatur esse contra rationem, superiorem absque aliqua causa impedire voluntatem subditi votum confirmatam in bonum, dum potius ratione superioritatis teneatur promovere bonum spirituale subditi.

3. Resp. tertio: potest fieri irritatio subdito nolente illam, seu contradicente; quia in usu hujus suæ potestatis superior non dependet à voluntate subditi; cessaretque hac ratione conditio obtinendi beneplaciti superioris, necessaria ad contrahendam obligationem, si eo non obtento, vel contra illud remanere possit in sua obligatione. Suar. *L. 6. de voto c. 1. ad finem.* Sanch. *cit. c. 24. n. 25.* Sayr. *L. 5. c. 8. n. 6.* Castrop. *l. c. n. 6.* His non obstante, quòd irritatio non minus sit beneficium, quàm commutatio voti, & dispensatio in eo, quæ propterea invito exhiberi non possunt. Nam commutatio non ideo præcise, quia est beneficium, invito vovente fieri nequit, sed quia necessariò requirit consensum & acceptationem; cum sine illis obligatio prioris voti in aliam materiam transferri nequeat. Dispensatio etiam & irritatio sint quidem beneficia, non tamen positiva, sed privativa, quæ per se acceptationem non requirunt, ut Castrop. *l. c.* adhæc dispensatio uti & irritatio sæpe bono communi necessaria sunt, quin & ipsi obstricto voto, etsi is non cognoscat, adeoque ei non consentienti exhiberi possunt.

4. Resp. quarto: in dubio tenente se ex parte irritantis, dum nimirum dubitatur, num is sit verus pater, legitimus tutor, curator, prælati, maritus, dominus, fieri potest irritatio, si sint in possessione irritandi; quia in dubio judicandum est pro possessore. Secus est, si non sint in possessione; quia absque possessione certus titulus non habetur, quo usus potestatis irritativæ firmetur & honestetur Sanch. *l. c. c. 23. n. 15.* Castrop. *cit. p. 4. n. 8.* In dubio quoque tenente se ex parte voventis, fieri potest irritatio à superiore, certò habente potestatem irritativam; cum usu juris certi privari non debeat ob rationem dubiam. Sic pater, tutor, curator, maritus habentes certam potestatem irritandi vota omnia filii, impuberis, pberis, uxoris, ea irritate poterit, dum dubium est fuisse emissã tempore, quòd hi sui juris erant.

Idem est, dum vovens dubitabat, num vota à se emissa tempore inhabili, confirmata sint tempore habili; cum confirmatio, utpote quid facti non præsumatur. Cujus contrarium est, dum dubium est, num filius; servus, uxor habentes bona propria voverint Eleemosinam ex bonis propriis, quia præsumendum est, voventem se voluisse obligare firmiter, præsumendum est vovisse eleemosinam ex bonis propriis. Ita Castrop. n. 9. citatis Sanch. Suar. & aliis, hæc pluribus exemplificans, quæ vide. De cætero si superior de facto irritat votum, quod irritare non poterat, si veritas constaret, vel quia non est verus superior, vel quia votum fuit confirmatum, irritatio nulla est, quocumque tempore deprehendatur esto error suppleat jurisdictionem, non tamen dominationem. Castrop. n. 10. cum Sauch. cit. n. 32. n. 16. & Bonac. cit. d. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 32.

5. Resp. quinto; potest fieri irritatio potestate delegata, absque eo, quod delegato communicetur dominium vel jurisdictione. adeoque tantum nomine alieno seu nomine procuratorio, & vices alterius gerentis, non ita contrahi potest matrimonium per procuratorem, etsi hic matrimonii contrahendi capax non sit, & procurator nomine domini contradicere alienationi factæ ex bonis ejus. Castrop. n. 11. cum Less. cit. c. 40. n. 133. Suar. cit. c. 7. n. 17. Sanch. cit. c. 24. n. 54. quietam n. 53. quod quando superior non vult per se irritare vota, possit illud per alium, dicendo se irritare illa vota, quæ alius tertius irritanda judicaverit.

Quest. 898. Superiores regulares circa irritanda vota suorum quid possint?

1. Resp. præter dicta q. penult. n. 1. & 2. primò: irritare non tantum possunt vota suorum, quæ eorum jurisdictionem & religionem gubernationem impediunt, ut censent Cajet. 2. 2. q. 88. a. 8. dubit. Palacios, Armil. & plures alii citati à Suar. quorum sententiam probabilem dicit Less. dum docent, religiosos non ita subiectos Prælati, quin possint aliquam obligationem regulæ statuique religioso consentaneam subire independentem à prælatorum voluntate; Verùm etiam omnia alia eorum vota Azor. l. c. c. 17. q. 16. & 17. Suar. L. 6. de voto c. 7. n. 3. Sanch. L. 4. c. 33. à n. 4. Laym. l. c. c. 7. n. 6. concl. 3. Castrop. l. c. p. 8. n. 2. potuisse enim Pontificem ut melius religiosi gubernarentur voluntatem eorum ita subicere prælati, ut absque eorum consensu nihil firmiter voverent, extra dubium est, non secus ac qualibet respublica, ut immaturo pupillorum judicio provideret, sic eorum voluntatem parenti aut tutori subicere potuit, ut in eorum arbitrio esset, vota pupillorum firmare vel cassare, uti & contractibus suorum civium eas condiciones apponere, quibuscum & non aliter obligare persisterent. Quòd autem Papa sic fecerit, probat praxis & usus religionum, ut Less. n. 75. Sanch. cit. c. 24. n. 30. Vasq. 1. 2. d. 165. c. 4. n. 29. Laym. Suar. Bonac. Castrop. LL. cit. Excipiuntur nihilominus vota statum religiosi constituenta, qualia sunt vota castitatis, paupertatis, obedientiæ, quæque statui illi annexa sunt, quale in societate est votum ingrediendi societatem; hoc est, suscipiendi gradum, qui præposito generali visus fuerit. Item votum solenne obediendi summo Pontifici, aliæque vota simplicia, quæ professi emittunt; hæc enim vota nullatenus irritare possunt Superiores regulares. Sanch. L. 4. c. 33. n. 5. Laym. l. c. c. 6. n. 7. assert. 3. Castrop. l. c. n. 3. Excipitur item votum ingrediendi re-

ligionem strictiorem, cujus executionem sicut impedire nequit prælatus, ita nec illud irritare potest. Nav. Consilior. L. 3. cons. 30. Less. l. c. n. 75. Laym. Castrop. LL. cit. Suar. L. 6. de voto c. 7. n. 9.

2. Resp. secundò: potestate hac irritativa gaudent omnes illi, quibus religiosus ob religionum statum subiectus est. Quales sunt Generalis, Provincialis, visitator provinciæ, prior seu rector collegii ut habet communis. Non verò vice-superiores, qui in societate vocantur Ministri; cum verè superiores non sint (etsi nomine superiores veniant) siquidem non nomine proprio, sed alieno imperant, & in virtute obedientiæ præcipere nequeunt, nec à peccatis absolvere, nisi quando Prælatus à loco conventus abest. Quamvis tamen sæpe executionem voti impedire possint, occupando subditum, qualiter eum occupare possent, si nullo voto obstrictus esset. Ita Sanch. l. c. n. 16. Suar. l. c. n. 17. Castrop. n. 5. Quod spectat Abbatissas & Priorissas, absolute negant illis potestatem irritativam votorum; cum ea non egeant, dum moniales habent Prælatos regulares, quibus subijciuntur, ac insuper jurisdictione spirituali careant, ut alii relatis Sanch. L. 6. Sum. c. 1. n. 27. Plures contra absolute iis concedunt eandem potestatem irritativam, quam habent Prælati respectu suorum religiosorum; eò quòd illis non secus ac aliis Prælati emittatur votum obedientiæ. Ita Suar. cit. L. 6. c. 7. in fine. Sanch. L. 4. de voto c. 33. n. 19. Less. l. c. n. 133. Sayr. L. 6. c. 10. n. 13. apud Castrop. n. 7. qui tamen ipse cum Azor. l. c. c. 17. n. 3. in fine. Probabilis putat posse eas irritare sola vota, quæ respiciunt materiam concernentem domesticam & politicam gubernationem in Ordine ad bonum temporale, utpote quæ solà gaudent.

3. Resp. tertio: tametsi vota novitorum Prælati regulares irritare non possunt; quia adhuc sunt sui juris, & nulli ex voto obedientiæ subiecti, ut cum communi Nav. in sum. c. 12. n. 65. Azor. l. c. q. 20. Less. l. c. n. 80. Sayr. l. c. n. 15. Suar. l. c. n. 11. Laym. l. c. c. 7. n. 9. Sanch. L. 4. c. 33. n. 28. Castrop. l. c. n. 10. Possunt tamen omnia eorum vota suspendere, quæ onera religionis & novitatus difficiliora reddunt, ne ob hanc difficultatem minus apti religioni judicentur, & ipsi religio displiceat Sanch. n. 32. Laym. Less. LL. cit. quin &, ut Castrop. cum Sanch. n. 37. Sayr. & Less. LL. cit. Si vota eorum nimis aggravent onera religionis, sive per se, sive ratione subiecti, ipso jure suspensa erunt, utpote impeditiva boni, nempe liquidi religionis experimenti. Imò qualibet vota tam personalia quam realia posse ac ipso novitio commutari in opera & exercitia novitatus determinata nempe in has penitentias & orationes, asserit Castrop. ita tamen, ut delerens religionem obligatione prioris voti obstringatur; cum credendum sit illum pro eo tempore tantum commutationem fecisse.

Quest. 899. Qualiter parentes irritare possint vota filiorum & qui in ordine ad hoc veniant nomine parentum & filiorum.

Resp. præter ea, quæ de hoc dicta quest. antepenult. potest pater vota omnia sive realia, sive personalia filii impuberis, etiam si doli capax irritare; cum ea aliter emitti non poterint, quam sub beneplacito patris; jure sic disponente, fuit

fundatio in præsumptione imbecillis usus rationis filii, qui etsi aliquando perfecto usu rationis polleat, id per accidens est, & potestatem patris non immittit. Ita Arg. c. 1. § 2. 20. q. 2. Suar. L. 6. c. 6. a. n. 1. Sanch. l. c. c. 35. n. 7. Less. l. c. n. 82. Laym. l. c. c. 7. n. 10. Castrop. l. c. p. 7. n. 4. Potest quoque vota filii puberis (qualis dicitur ab anno 14. ad annum 25.) quæ suæ administrationi & gubernationi domesticæ præjudicaverint, non alia, irritare eò quod ad præpubertate præsumatur habere paternam discretionem, adeoque quò minus ea irritare possit, non obstat, nisi materia præjudicans fuerit dictæ gubernationi, qualia ubi fuerit, eò ipso irritare potest votum filii, quippe quod necessàriò ad sui valorem imbibitam habet hanc conditionem: nisi parenti attulerit præjudicium. Neque huic potestati irritatiuæ paternæ subrahuntur vota juramento firmata, ut cum Suar. l. c. n. ult. & Sanch. L. 4. c. 35. n. 62. Castrop. l. c. n. 9. Hinc contra irritare non potest pater filii puberis vota castitatis, ingrediendi religionem, suscipiendi ordines, quia in his filius est sui juris. Item neque vota suscipiendi moderata jejunia, obeundi communionem, & similia, quia hæc gubernationi non obstant. Secus est de voto peregrinationis diuturnæ, & absentis, quia obstat paternæ curæ, quam cum filio habere debet, dum est sub ejus potestate. Less. n. 85. Sanch. l. c. n. 15. Castrop. l. c. n. 10. Sed neque irritare potest vota realia de bonis, quorum filius dominium & administrationem habet, ut sunt bona castrensia, & quasi castrensia, utpote in quorum alienatione filius est sui juris, & patri præjudicare nequit juxta L. filius familias. ff. de donat. Suar. l. 6. de voto c. 5. n. 4. Sanch. l. c. n. 23. Azor. l. c. c. 7. q. 17. Sayr. l. c. c. 10. n. 25. Castrop. n. 11. Idem est de bonis filii adventitiis, quorum nec usus fructus, nec administratio nem habet pater, sed filius post annum 25. juxta Auth. ut liceat. matri. vers. Sed autem. Ubi autem filio in minore ætate constituto, pater bonorum illorum administrationem non habet, vel quia non vult ea administrare, vel quia filio sub ea conditione, ut non administrarentur à patre, relicta sunt, potestas irritandi ea vota, non patri, sed curatori competit, Sanch. l. c. n. 31. Castrop. n. 12. Ac denique filii puberis à patria potestate egressi, utpote sui juris, & patri non subiecti tam quoad personam, quam quoad administrationem bonorum, Castrop. n. 13. liberatur verò filius à potestate patria primò per hoc, quòd ipse aut pater ejus profiteatur in religione Covar. c. 2. de testam. n. 8. Molin. tr. 2. de just. d. 140. vers. utrum autem. Sanch. l. 4. c. 35. n. 44. Castrop. cit. p. 7. n. 2. Secundò si eligatur in Episcopum. Auth. sed Episcopalis dignitas, §. ult. c. de Episc. & Cler. Tertio si eligatur & administrare incipiat aliquam earum dignitatum de quibus L. ult. c. de decurion. Quarto, si pater vel filius servus efficiatur §. si ab hostibus Inf. quib. mod. jus patr. potest., solvitur. Quintò per mortem patris naturalem vel civilem. §. cum autem. Inf. quib. mod. Sextò patre vel filio labente in hæresin. cit. §. cum autem. Septimò per emancipationem. §. præterea Inf. quib. mod. L. ult. c. de emancip. liberor. Econtra non eximitur filius à patria potestate ratione ætatis etiam post annum 25. neque pater perdit usum fructum & bonorum administrationem. Less. L. 2. c. 42. n. 12. Suar. L. 6. de voto c. 5. n. 12. Sanch. l. c. c. 35. n. 29. Castrop. l. c. aliique apud illum cum Gloss. in L. fin. §. pupill. ff. de v. o. neque solvitur ratione Ordinis etiam præbyteratus Covar. in c. quia nos, de testam. n. 5. Sanch. n. 37. Castrop. l. c. neque per contra-

ctum matrimonium, saltem jure communi. Sanch. n. 31. Castrop. l. c. & alii apud illum. Arg. L. 1. § 2. c. de bon. qua liber.

2. Resp. secundò sub nomine parentum in ordine ad irritanda vota prolium, non venit mater; quia vivente Patre neque familia, neque bonorum filii administrationem habet juxta §. fœmina Inf. de adop. Potest tamen executionem voti suspendere, præcipiendo filio ne exequatur. Suar. l. c. c. 6. n. 21. Sanch. l. c. n. 78. Castrop. n. 7. quin & mortuo, amente, vel longissime absente patre irritare potest vota filii impuberis, si ei datus non sit tutor aut curator, nec superest ex patre avus, qui loco patris succedat; non quia tutrix est (nam tutelam ob mortem mariti ipso jure non habet, etsi eam petere possit. Auth. matri & avia. c. quand. mul. tutel. off. fungi potest.) Sed quia ipse jure naturali ei datum, impuberum gubernare, patre, avo, tutore deficientibus. Sanch. n. 76. & 79. Laym. l. c. c. 7. n. 10. Sa. V. voti irritatio. n. 2. Sayr. l. c. c. 10. n. ult. Castrop. l. c. Si tamen minor careat curatore, mater quæ talis vota illius irritare nequit; siquidem id competit solum patri, dum filius est sub ejus potestate, filius autem pubes non est sub potestate matris, quatenus mater est Sanch. l. c. n. 77. Suar. L. 6. n. 77. Suar. L. 6. c. 5. in fine. Castrop. n. 15. uti nec matri competit ullatenus irritare vota filii etiam impuberis, si ei datus tutor vel curator, utpote quibus tunc competit personæ & bonorum administratio. Sylv. v. volum. 4. q. 2. d. 1. Azor. l. c. q. 7. Sanch. cit. n. 78. Suar. l. c. n. 22. Castrop. n. 7. Unde

3. Resp. tertio: nomine patris in omnium sententia venit tutor, utpote patri ex dispositione juris subrogatus. Idemque est de curatore minoris, ut Castrop. n. 14. & si plures sint tutores aut curatores, penes quemlibet illorum est integra potestas irritandi vota pupilli, aut puberis minoris. Bonac. l. c. n. 25. in fine. Sanch. c. 25. n. 70. Castrop. l. c. non tamen nomine patris, hoc & aliis ascendentibus, & tutore deficientibus, venit herus vel magister, ut probabilius cum Sanch. n. 84. Bonac. d. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 18. censet Castrop. n. 8. eò quod potestas dominativa ad irritationem votorum requisita nec jure naturali, nec positivo illis asseratur. Contrarium tamen valde probabiliter sentientibus Less. L. 2. c. 4. n. 82. Suar. cit. c. 6. n. 23. Sayr. l. c. n. 18. aliisque gravibus DD. ob pietatem & æquitatem, ut nimirum impuberis imprudentiæ in votendo hac ratione consulatur. De cætero minoribus in votis competere nequit constitutio in integrum, uti ea illis competit in aliis contractibus, siquidem ea locum habet in contractibus ideo, quia invenitur in eis deceptio & defectus voluntarii, quæ contingere nequeunt in votis; cum ea sint plene voluntaria. Sanch. n. 85. & 86. Castrop. n. 16.

4. Resp. quarto: nomine filiorum veniunt quoque naturales & spurii respectu illius, de quo moraliter constat esse filios illius, eò quòd, licet pater non habeat potestatem civilem gubernandi tales filios, habeat tamen naturalem potestatem, ut filii in votendo imbecillitati consulat, Sanch. cit. c. 35. n. 82. Castrop. cit. p. 7. n. 5. qui tamen id ita intelligunt; si nullus adsit tutor, cui id aliàs competit, cum sub ejus & non sub patris potestate sint tales filii juxta Instir. de patria potest. in principio.

Quæst. 900. Conjuges qualiter irritare possint vota.

Resp. præter dicta de hoc quæst. ante hanc quarta. quamvis omnia vota uxoris emissa stante ma-

tri-

trimonio irritari posse à marito, ut levitati & inconstantia mulierum in voto consulatur, valde probabiliter teneant Sotus Sanch. & alii apud Castrop. *l. c. p. 6. n. 1.* Videntur tamen sentire probabilius Nav. *in sum. c. 12. n. 64.* Valent. *2. 2. d. 88. d. 6. q. 6. p. 6.* Azor. *l. c. c. 17. q. 12.* Less. *l. c. n. 89.* Suar. *L. 6. c. 4. n. 2.* Laym. *l. c. c. 5. n. 12.* Ponc. *L. 10. de mar. c. 17. n. 3.* Bonac. & alii quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 2.* maritum posse irritare sola vota uxoris, quæ usui matrimonii, educationi prolis & gubernationi domesticæ præjudicant; ex ea ratione, quòd neque ex natura rei; neque ex jure positivo efficaciter colligatur, uxorem subditam esse viro in actionibus personalibus, quæ illi usui, educationi, gubernationi non præjudicant. Secundum quam sententiam maritus directe non potest irritare vota uxoris de operibus præceptis, audiendo facto, jejunio &c. posse tamen si sic exigat gubernatio domestica illorum votorum executionem suspendere, præcipiendo opera incompossibilia ut Less. Suar. *LL. cit.* Castrop. *l. c. n. 4.* quòd attinet votum castitatis, posse illud emissum ab uxore absque viri consensu etiam ante consummationem matrimonii; quin & emissum de licentia mariti irritari sequitur ex sententia Sanch. & aliorum, ut videre est apud Castrop. *n. 5.* Contrarium secundum suam sententiam Castrop. nimirum non esse irritabile quatenus continet obligationem non petendi debitum & abstinendi à delectationibus venereis; cum secundum hæc partem non præjudicat marito, quæ tamen obligatio etiam cessabit pro tunc, quando maritus ægre ferret, semper se debere petere & ita minuatur amor, excitaretur discordia, ut cum Laym. *l. c. c. 7. n. 16.* Castrop. *cit. n. 5. in fine* quatenus verò continet obligationem reddendi debitum, non eget irritatione; cum ad hunc effectum propter præjudicium mariti extendi nequeat. Dum verò mutuo consensu uterque conjux vovet castitatem, non posse illos sibi vota irritare & ad pristinum statum redire de communi sententia DD. negat Castrop. *n. 6.* citatis quam plurimis, quem vide, quòd spectat ad votum castitatis & religionis implendum pro tempore matrimonii soluti, etsi in sententia Sanch. irritari possint à marito, eò quòd dominus sit voluntatis uxoris, rectius tamen sentit Castrop. *n. 8.* contrarium, ex eo, quòd neque executio, neque obligatio illius præjudicium aliquod afferat marito, de votis factis ante contractum matrimonii & tempore divortii dictum est supra. De voto religionis emissio à conjuge dicendum, illud irritationi obnoxium non esse in omnibus casibus, in quibus impleri potest, altero conjuge invito, quia ei tunc non præjudicat, cum executione hujus voti separentur conjuges à mutua cohabitatione & obligatione reddendi debitum. Ita Sanch. *L. 9. de mat. d. 40. n. 21.* & *L. 4. sum. c. 34. n. 16.* Less. *l. c. n. 94.* & Gl. Castrop. *n. 7.*

2. Resp. secundò: uxor ea solum mariti vota irritare potest, quæ sibi præjudicant; cum vir subijci non possit uxori quòd ad voluntatem, sed solum quòd ad materiam voto promissam. Suar. *L. 6. de voto c. 4. à n. 8.* Sanch. *cit. c. 34. n. 20.* Less. *l. c. n. 98.* Ponc. *de mat. L. 10. c. 17. §. 2. n. 18.* Castrop. *n. 9.* Sic irritare potest votum longæ peregrinationis (excepta peregrinatione Jerosolomytana in subsidium terræ sanctæ;) immoderatæ abstinentiæ, nimiarum precum & similibus, quia obstant mutua cohabitationi, & obligationi reddendi debitum. Sanch. *n. 21.* Suar. Less. Castrop. *LL. cit.* de voto mariti non petendi debitum, quòd ab uxore irritari possit, affir-

mant Laym. *l. c. c. 7. n. 16.* & alii, eò quòd hac ratione uxor cogatur semper petere debitum, quòd nimis onerosum & verecundiæ mulierum contrarium, Negant è contra Sanch. *l. c. n. 27.* Less. *n. 99.* Ponc. *n. 18.* Castrop. *l. c. n. 10.* eò quòd obligatio mariti ad non petendum debitum non cedat in præjudicium uxoris; cum non retrahat eam à petitione, sed potius sit occasio liberius petendi, dum scit meritum impeditum esse ad petendum; sed neque ut contra alios Castrop. in hoc casu maritus necesse habet, se aliquoties offerre uxori paratum ad reddendum, ut sic tollatur verecundiæ; cum uxor ad talem oblationem actualem maritum obligare nequeat, sed sufficiat ut se offerat ad reddendum, quamprimum minimo indicio suæ voluntatis petit. Ad oblationem verò habitualement quòd spectat, maritus semper debeat esse paratus. De cætero votum continentia vel non petendi debitum emissum absque alterius conjugis beneplacito regulariter illicitum & indiscretum esse, tum quia id alteri molestum, tum præcipue ob periculum violationis, notat cum Lessio & aliis Castrop. *n. 11.*

Quest. 901. An & qualiter domini irritare possint vota servorum.

Resp. præter ea, quæ de hoc quoque dicta sunt supra, ea sola servorum vota irritare potest dominus, quæ suo obsequio & servitio præjudicant. Suar. *l. 6. c. 3. à n. 1.* Less. *n. 86.* Azor. *l. c. c. 17. q. 9.* Castrop. *l. c. p. 5. n. 1.* Sic irritare nequit eorum vota de rebus præceptis v.g. audiendi missam, communicandi, jejunandi; quia non sunt de materia dominis subiecta quamvis & hæc vota ab iis impediti & suspendi possint præcipiendo servis eo tempore alia opera cum observatione votorum incompossibilia, multoque minus irritare potest vota eorum spectantia ad consilium v.g. moderata jejunia, orationes & quidem votum castitatis nequidem suspendere potest, quippe cujus observatio præjudicare nequit obsequiis domino debitis. Idemque est de votis realibus, si forte servi habeant bona aliqua propria. Sed neque domini seu heri vota famulorum, qui iis operas suas ex contractu locarunt, alia irritare vel suspendere possunt, quàm quæ obligationi ab iis contractæ præjudicant. Obligatio siquidem justitiæ alteri obligationi voluntariæ prævalere debet. Suar. *l. c. n. 6.* Sanch. *l. 4. de voto c. 24. n. 24.* Castrop. *l. c. n. 3.*

Quest. 902. Dispensatio votorum quid sit.

Resp. Dispensatio votorum est ablatio seu remissio totalis obligationis eorum ob justam & rationabilem causam nomine dei facta ab habente spiritualement jurisdictionem in voventem. Dicitur primò: *ablatio* quòd est loco generis, convenit enim in eo cum irritatione. Dicitur secundò: *totalis ablationis*: in quo differt à commutatione, cum hæc non tollatur omnis obligatio, sed obligationi priori surrogatur alia obligatio. Dicitur tertio: *ob justam & rationabilem causam*: Siquidem dispensatio hæc facta à quocunque, etiam à Pontifice sine causa justa & rationabili est illicita & invalida, cum fiat nomine Dei; is autem nullatenus censendus sit consentire in relaxationem debiti sibi sine causa factam; utpote quæ foret irritabilis, & rectæ gubernationi Ecclesiæ non consentanea. Ita ut Castrop. *tr. 15. d. 2. p. 9. n. 3.* Theologi omnes cum D. Th. *2. 2. q. 88. a. 12. ad 2.* & Juristæ cum Gl. *in c. non est. v. o. adimplere h. t.* Dum autem petens & concedens dispensationem bona fide

existimant esse legitimam causam dispensandi, quæ tamen à parte rei non fuit, valere dispensationem, nec dispensatum teneri, deprehensâ nullitate causæ, redire ad suum votum, satis probabiliter tenent Less. *L. 2. c. 40. n. 119.* Sanch. *l. c. L. 4. c. 44. n. 10.* ex ea ratione, quòd videatur æquitati consonum ad sedandos scrupulos, & pacandas conscientias, rectamque Ecclesiæ gubernationem, ut Deus remissionem suo nomine bona fide factam approbet, & confirmet. contrarium tamen veriùs censente Castrop. *l. c. n. 4.* ob rationem directè contrariam, nimirum id non esse necessarium ad sedandas conscientias, sed sufficiat ad hoc, quod præsumatur justa causa, quoties dispensatio conceditur ex causa, quæ creditur legitima, imò ex causa, quæ dubia est, quâ præsumptione stante dispensatus sit tutus. quòd verò detecta nullitate causæ dispensationis, id non requiritur ad rectam Ecclesiæ gubernationem, neque ad sedandas conscientias expediat, sed potiùs expediat contrarium, ne Deus censetur favere errori. Dicitur quartò: *ab habente spiritualem jurisdictionem in voto.* quia hæc relaxatio, seu dispensatio est actus jurisdictionis ecclesiasticæ spiritualis à Christo concessæ Petro, ejusque successoribus, Matth. 16. illis verbis: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. quæ verba propter generalitatem suam extendunt SS. PP. non tantùm ad vincula culpæ, & pœnæ, sed ad quodcumque vinculum, quale est voti, & juramenti, quod quandoque ad salutem animarum, rectamque Ecclesiæ gubernationem convenit solvi, neque hæc potestas dispensandi est potestas Ordinis; cum nullus Ordo ad hoc ministerium sit deputatus: sed jurisdictionis externæ spiritualis ecclesiasticæ, adeoque non competit nisi personis ecclesiasticis habentibus subditos, eosdemque gubernantibus, ita Less. *l. c. n. 114. & 115.* Sanch. *L. 4. Sum. c. 37. à n. 16.* Ponc. *de mat. L. 8. c. 4. à n. 3.* Castrop. *n. 2.*

Quæst. 903. Causæ sufficientes ad dispensationem quænam sint?

Resp. Primò in genere: sunt eæ, quæ obstant executioni voti; cum enim obligatio exequendi votum cedere debeat in honorem DEI, & utilitatem votentis, censendus non est illius remissioni Deus consentire, nisi adsit causa hanc obligationem impediens, ut cum D. Thom. *l. c.* & communi Castrop. *l. c. n. 5.* sumuntur autem hæc causæ partim ex modo votendi; quia emissum temerè sine sufficiente deliberatione, & voluntario. partim ex materia voti non placente Deo. Sic itaque quod attinet modum votendi causam sufficientem dispensandi præbet defectus maturæ deliberationis, & plenæ libertatis, undecumque is oritur, Sanch. *l. c. c. 45. n. 29.* relatis pluribus aliis, Castrop. *l. c. n. 7.* an verò dum in observatione voti emissi temerè, & sine sufficiente deliberatione non sentitur gravis difficultas, neque præbetur periculum violandi illud, quod utrumque aliàs ex tali indeliberatione oriri solet, talis defectus deliberationis, & inde secutæ plenæ libertatis sit adhuc causa sufficiens dispensandi, non ita convenit inter AA. negant Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 7. in fine.* Suar. *L. 6. de voto c. 17. n. 14.* dum ita expressè ait: licet votum fuerit temerè factum, si tamen non nocet, sed potiùs utile invenitur, non erit illa sufficiens causa tollendi votum, estque ratio hujus lenitentiæ, quòd cessante gravi difficultate exequendi, & periculo violandi illud, *R. P. Lehr. jur. Can. Lib. III.*

nulla adsit causa obstandi illius executioni. affirmant è contra, esse adhuc sufficientem causam non obstante illa facilitate in servando voto, & carentia periculi violationis. Castrop. *l. c.* citatis pluribus aliis ex ea ratione, quòd DD. æquè pro sufficiente causa assignent facilitatem in votendo, & perfectæ libertatis defectu, ac assignant difficultatem in exequendo voto, & periculum violationis, quòdque per se defectus ille libertatis obstat, dum votum emittitur, etsi postea non obstat, cum hoc sit per accidens. quamvis Castrop. *l. c.* cum Suar. *l. c. n. 8.* Sanch. *l. c. n. 28.* notent defectum plenæ libertatis non semper, sed rarò præbere causam ad absolutè relaxandum votum absque ulla commutatione, ac proinde prudentis arbitrio spectatâ voti gravitate, & causâ, ex qua oriatur ille defectus libertatis, desuper judicandum. unde

2. Resp. Secundo in specie: in voto emissio in pupillari ætate ob defectum plenæ libertatis à jure præsumptum, dispensari potest absque ulla commutatione: præsumendum enim est de benignitate divina non tam rigidè obligationem in tenera ætate susceptam ab eo acceptatam, quin Pontifici, aliisque Prælati remiserit illius liberam solutionem. Castrop. *l. c. n. 8.* cum Sanch. *l. c. n. 30.* his non obstante, ut iidem, quòd Papa *in c. 2. h. r.* in voto peregrinationis Hierosolymitanæ emissio à constituto in tenera ætate dispensaverit impositâ gravi commutatione; cum id fecerit non ex necessitate, sed ex convenientia, ne videretur recedere à stylo tunc usitato admittendi commutationem. sic metus mortis incussus ad extorquendum votum, adeoque injustus, etiam levis causam sufficientem præbet integrè dispensandi, ut tradit Sanch. *l. c. n. 32.* Castrop. *n. 9.* conceptus tamen ex infirmitate, naufragio aliave causa ad extorquendum votum non apposita, regulariter non est causa sufficiens dispensandi, nisi aliquando ob nimium affectum vitam conservandi, vel etiam irâ, tristitiâ, aliave passione concitatus votens in votendo fuerit præceptus, in quo tamen casu opus esse aliquâ commutatione censet Castrop. *l. c.* Item error circa causam impulsivam, ejusve cessationem, quia minuit voluntarium, est causa dispensandi, non quidem absolutè, sed additâ commutatione aliqua. Sanch. *cit. c. 45. n. 33. & 34.* Castrop. *n. 10.* Arg. 1. *magna h. r.* Item dubium de intentione sese obligandi, saltem admixta commutatione. Sanch. *n. 39.* Castrop. *n. 11.*

3. Resp. Tertio: causæ sufficientes dispensandi desumptæ ex materia voti, sunt ferè sequentes. prima, si votum spectata communi hominum fragilitate, vel speciali dispositione votentis, sit occasio facilis ruinæ, v. g. votum nunquam peccandi mortaliter, non petendi debitum in conjugatis Sanch. *c. 45. n. 40.* Less. *l. c. c. 8. n. 5.* Castrop. *n. 12.* secunda gravis in exequendo voto difficultas non satis prævisa, quia in eo casu executio non est satis voluntaria, adjunctumque est periculum violandi votum, Suar. *l. c. c. 17. n. 12.* Sanch. *de mat. L. 8. d. 20. n. 18. & 22.* Castrop. *n. 13.* Tertio dubium, num votum sit impeditivum majoris boni; cum stante hoc dubio, incertum, num votum sit gratum DEO. Suar. *l. c. n. 10.* Sanch. *L. 4. Sum. c. 35. n. 36. & 37.* Castrop. *n. 14.* Idem dicentes, si ex dispensatione speraretur etiam sub dubio major votentis utilitas. Quartò impeditio boni communis, ut si judicaretur matrimonium expedire ad sedandam discordiam, stabilendamque pacem alicujus provincie, vel civitatis, possit

posset cum adstricto voto castitatis, vel religionis dispensari, ut ineat matrimonium. Suar. n. 13. Sanch. *L. 4. sum. c. 45. n. 49.* Laym. *l. c.* Castrop. n. 15. Quintò damnum propriæ domûs, vel familiæ; ut dum vovens peregrinationem timet ex sua absentia grave damnum, Suar. Sanch. *LL. cit.* ob conservandam verò illustrem familiam posse quidem dispensari in voto castitatis, & religionis, quia cedit in specialem Ecclesiæ honorem, & protectionem nobilium familiarum conservatio; sed admixta aliqua commutatione, ait cum Sanch. n. 51. Castrop. n. 16. quin & rarò quamlibet ex prædictis causis sufficientem esse, ut integrè & absolute dispensetur, sed miscendam aliquam commutationem, præsertim dum votum grave est, & perpetuum, v. g. castitatis, religionis, peregrinationis Romanæ; cum votum quo gravius, & excellentius est, eò graviorem causam requirat, notat cum Suar. n. 14. Sanch. n. 52. Laym. *l. c.* Castrop. n. 17. quòd si tamen causa aliqua arbitrio prudentis præsumatur sufficiens ad integrè dispensandum, securè posse procedi, ne aliàs si certitudo expectanda, rarò vel nunquam dispensatio concedi posset, & omnia scrupulis paterent; dum vix sufficientia, & certitudo causæ cognoscatur, ait Castrop. *l. c.*

Quæst. 104. Quinam habeant potestatem ordinariam dispensandi in votis.

1. **R**Esp. Omnes Prælati jurisdictionem Episcopalem, vel quasi talem habentes respectu suorum subditorum dispensare possunt potestate ordinaria in eorum votis, exceptis iis, quæ sunt specialiter reservata Papæ; quia sic convenit rectæ gubernationi Ecclesiæ. est communis, & sumitur ex *c. 1. h. t.* Tales proinde sunt Episcopi, Capitulum sede vacante, Legati à latere in suis provinciis, Abbates habentes propriam Diocæsim, Prælati regulares exempti, & ut addit Castrop. *l. c. p. 10.* Summi Pontificis pœnitentiarius, non verò parochus, quia non habet jurisdictionem in foro externo ad dispensandum in votis requisitam, licèt in absentia Episcopi ex recepta consuetudine dispensare possit in legibus jejuniarum, & festorum, ut Suar. *l. c. c. 10.* per totum. Castrop. *l. c.* num tamen in votis suorum Coepiscoporum, seu suffraganeorum dispensare possit Archi-Episcopus, seu Metropolitanus, dubitatur, eò quòd huic illi propriè subjecti non sint, quòd ad spirituale regimen personarum suarum, sed solùm in quibusdam actibus pertinentibus ad externam gubernationem Ecclesiæ suarum, cujus contrarium saltem ex jure probari non posse, ac proinde consulendam consuetudinem, ait Suar. *l. c. c. 11. n. 3.* Et quamvis DD. plures concedant Archi-Episcopo hanc potestatem dispensandi etiam extra tempus, quo suffraganeorum dioceses visitant, nequaquam tamen id ei, etiam dum actu visitat, concedendum tenet Sanch. *l. c. c. 38. n. 14.* eò quòd præter illa, quæ speciali jure ei concessa, nullibi dicta potestas isto tempore dispensandi in istis ei concessa reperitur, sed solùm potestas absolvendi à peccatis.

2. Quod attinet ad Novitios, posse Episcopum (intellige in cujus diocesi in præsentem resident, ut probabilis Castrop. *l. c. n. 2.* cum Sanch. & Bonac. eò quòd ingredientibus religionem cum animo ibi perpetuò manendi, quantum est ex se, acquirant verum ac proprium domicilium) cum illis dispensare in votis, cum, utpote necdum religiosi, ab ejus jurisdictione plene exempti non sint, cum communi defendunt Suar. *l. c. n. 9.* Sanch. *l. c. 39. n. 18.*

Bonac. *d. 4. q. 2. p. 7. n. 28.* & alii quos citat, & sequitur Castrop. *l. c.* Posse quoque cum Novitiis non secus, ac cum professis dispensare eorum Prælatos regulares contra Suar. *l. c.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 19. n. 21.* Sayr. *in clav. reg. L. 6. c. 11. n. 92.* probabilis sentire videntur Castrop. n. 3. & quos citat Sylv. *v. Dispensatio q. 14. d. 1.* Henriq. *L. 7. de indulgent. c. 22. n. 7.* Rodriq. *Tom. 1. qq. regul. q. 25. n. 3.* Less. *l. c. n. 133.* Bonac. *l. c. n. 27.* Sanch. n. 13. ex ea ratione, quòd etsi eorum Prælati non habeant in eos potestatem dominativam, habeant tamen potestatem jurisdictionis ad integrè eos in suis actibus regendos, ex favore religionis à Pontifice provenientium, neque inconveniens est, novitium à pluribus posse obtinere hoc beneficium dispensationis. Dixi: exceptis votis reservatis. unde sit

Quæst. 905. An & quæ sint vota reservata Papæ, & in quibus casibus ab iis adhuc dispensari possit Episcopus, aut etiam regularis.

1. **R**Esp. Ad primum; Papa tanquam supremo capiti Ecclesiæ subordinata est illa potestas dispensandi Episcoporum, isque illam in actu secundo restringere potest, & actu restrinxit. Vota autem specialiter ei reservata sunt quinque, nimirum castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ & Compostellanæ ad S. Jacobum, prout sumitur ex *Extrav. etsi dominici. c. 2. de pœnit. & remiss.* Præter quæ vota quinque, etsi non dentur alia, ut videre est apud Castrop. *l. c. n. 5.* eorum tamen reservatio, quia præjudiciali juri ordinario Episcoporum, adeoque odiosa, strictè est intelligenda; nimirum de votis his propriè dictis, perfectis, absolutis, determinatis, & quidem quò ad substantiam, non item quoad qualitates vel circumstantias eorum. Reiffenst. *h. t. n. 28.* sic itaque votum reservatum non est, dum quis promittit perpetuam castitatem B. Virgini, vel alicui Sancto, sine reflexione se obligandi Deo; secus si voveret Deo specialiter in honorem B. M. Virginis. Reiffenst. n. 29. citans Gobat. *de votis, c. 1. n. 21.* Item votum tale ex metu, etiam levi injustè incusso emissum, utpote imperfectum; tum quia principaliter non emissum amore virtutis, & obsequii divini; tum quia Pontifex non censetur per reservationes suas fovere iniquitatem, & injuriam illatam aliis, Sanch. *l. c. c. 40. n. 30.* Laym. *l. c. n. 10.* Nav. *c. 12. n. 59.* & alii, quos citat, & sequitur Reiffenst. n. 30. Item vota ista emissà sub pœna, v. g. si iterum fornicatus fuero, voveo religionem; quia & illa non sunt perfecta omnino. Laym. *cit. c. 8. n. 9.* Reiffenst. n. 31. citatis aliis. reservata tamen essent, si quis commissio jam crimine sic voveret, v. g. quia jam toties fornicatus fui, voveo religionem. Vota quoque conditionata de futuro v. g. voveo perpetuam castitatem, si sanitati restituar, nondum impletà conditione, non esse reservata, sentiunt plerique. quin & impleta jam conditione, non esse reservata, eò quòd sint imperfecta, dum principaliter non amore virtutis, & obsequii præstandi Deo, sed desiderio obtinendi, aut declinandi aliquid emittuntur juxta probabilem, & in praxi tutam cam Sanch. Gomez. Sporer & alii à se citatis censet Reiffenst. *h. t. n. 33.* Westn. *h. t. n. 73.* Contrarium cum communiori sententibus apud illum Laym. *l. c. n. 10.* & aliis, eò quòd votum conditionatum, uti & alius quivis contractus, impletà condi-

conditione transeat in absolutum. ad quod tamen respondet Reiffenst. quod quamvis tunc vota transant in absoluta, manent tamen imperfecta ex prima radice, utpote non amore virtutis, & intentione placendi Deo, sed amore boni temporalis, & naturalis principaliter emissa; confirmatque id ipsum exemplo votorum pœnialium. Sed reservatum est votum castitatis temporalis, v. g. ad 10. annos, nec votum non nubendi, non fornicandi, non tangendi mulierem; quia voto castitatis reservato venit sola castitas perfecta, & perpetua. unde etiam communiter DD. inferre ait Reiffenst. n. 35. votum servandi virginitatem non esse reservatum, utpote quod semel violatum amplius servari nequit, dum aliàs castitas violari possit, v. g. delectatione morosa absque eo, quod violetur integritas virginalis, nempe corporalis, ac denique reservata non sunt qualitates, & circumstantiæ votorum, unde si quis novisset peregrinari Romam pedes, vel ingredi religionem strictiorem, poterit Episcopus cum eo dispensare, ut curru vehatur Romam, vel religionem minus strictam ingrediat. Reiffenst. n. 36. cum communi, ut inquit, aliorum.

2. Resp. Ad secundum: potest in votis aliàs vere reservatis dispensare Episcopus, quando est impedimentum ad eundem Pontificem, & utget gravis necessitas maturandi dispensationem. Nav. in man. c. 12. n. 76. Laym. cit. c. 18. n. 16. Rodrig. regul. 99. q. 63. a. 6. Reiffenst. h. t. n. 37. cum communissima aliorum; præsumitur enim rationabiliter, Papam nolle in tali casu votum esse reservatum, sed contentum, ut tunc recurratur ad loci Ordinarium, ne aliàs animam manifesto exponatur periculo, tales autem causæ sunt, si in voto perpetuo castitatis, ex mora ad eundem Pontificem, instet periculum continentiæ, quando matrimonium contrahendum dif-

ferri nequit sine gravi sponsi, vel sponsæ eorumve familiæ dedecore, v. g. si puella deslorata, proleque nascenda infamanda sit, & maximè, si deslorans sit morti proximus, & nisi gravidam ducer, nascenda sint proles illegitimæ, aut orituræ graves discordiæ inter cognatos. Porro potestas & jurisdictionis, quæ in hoc casu utitur Episcopus, non est delegata, qualis ea dicitur, quæ nec ex lege, aut consuetudine, nec ratione officii, sed ex speciali alterius commissione competit, sed ordinaria, cum nullibi in jure talis commissio Episcopis tanquam delegatis facta ostendi possit. Reiff. n. 41. ubi etiam, quod minus rectè hæc Episcoporum potestas dicatur extraordinaria ex eo, quod sit circa casus extraordinariè contingentes; cum etiam circa hos detur vera potestas ordinaria, sicut in præsentem habet hanc potestatem dispensandi ratione officii, vel consuetudinis.

3. Resp. Ad tertium: Confessarii Ordinum mendicantium dispensare possunt in votis, in quibus dispensare possunt Episcopi jure ordinario, imò etiam in reservatis aliàs casibus, in quibus reservata non sunt, ut dictum de Episcopis, ut patet ex privilegiis minorum Dominicanorum, Carmelitarum, & Societatis Jesu. idque etiam si votorum quorundam reservationem sibi specialiter reservaverint Ordinarii locorum, etiam si absolvere nequeant à casibus reservatis Episcopo juxta decretum Alexand. VII. cum aliud longè sit dispensare in votis, aliud absolute à peccatis. Laym. cit. c. 8. n. 7. quin & privilegiorum in votis verè reservatis, in quibus urgente gravi necessitate, & difficultate recurrendi ad Pontificem, dispensare possunt Episcopi, ut plures apud Reiffenst. n. 40. Contrarium tamen sentientibus aliquibus aliis.

TITULUS XXXV.

De statu Monachorum & Canonicorum regularium.

CAPUT I.

De institutione novæ religionis, transitu conventus totius ad alium, receptione regularium, celebrationis Capitulis, & visitatione eorum, de promotione eorum ad parochias.

Quæst. 906. An licitum instituere novam religionem.

Resp. Non tantum prohibitum instituere novam religionem sine approbatione sedis Apostolicæ, sed etiam eam de facto (hoc est, non jure, nec verè, sed ad speciem tantum, & factum externum declaratum irritam, constat ex c. ult. h. t. & c. unic. c. eod. in 6. idemque colligitur manifestè ex Clem. unic. de voto. & Clem. 1. h. t. & Extrav. unic. h. t. Sayr. Tom. 3. de relig. l. 2. c. 16. n. 9. comprehendunturque sub hac prohibitione, & irritatione omnes congrega-

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.

tiones virorum, ac mulierum, quæ in communi sub certa regula ritu & habitu sine Papæ licentia, & approbatione devotionis, vel pietatis causâ vivunt, licet tria vota substantialia religionis non ediderint, adeoque propriè religiosi non sint. Abb. in c. 2. de foro compet. n. 22. in fine. Suar. l. c. n. 22. Pirh. tit. de religiof. domib. n. 33. contra Felin. in c. 10. de constit. n. 1. & confirmatur hæc extensio ex cit. Extrav. unic. dum ibi ea refertur, & Bequinas contra cit. c. ult. h. t. desumptum ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III. deliquisse declaratur, Quin etiam dum viri, vel mulieres sub certa forma vivendi, seu regula nullis votis religionis adstricti sine Papæ licentia

Ppp a

centia